

[Blank white label]



Theologia Natural: 11.

Philos. S. 10.

THESES
DE
QUIBUSDAM
THEOLOGICÆ
NATURALIS CAPITIBUS,
HODIE CONTROVERSIIS,
AD
USUM STUDIOSE JUVENTUTIS
CONSCRIPTÆ,

A
JOH. GEORG. ABICHT/
S. Theol. D. & P. P. Athen. Ged. Rect. & ad æd.
S. S. Trin. Pastore.



GEDANI,
APUD BIBLIOPOLAM KNOCHIUM,
ANNO M DCC XXIX.

THESES

QUINQUAM

THEOLOGICAE

MATTHEI CARIBUS

HOBIE CONTRAVERSIS

USUM STUDIOSE JUVENUTIS

CONSCRIBIT

JOH. GEORG. P. P. P.

2. Theol. D. & P. P. P. Athen. Ged. Ref. 3. of 24

5. 2. 11. 1805



Landesbibliothek
Dresden

PRÆFATIO

ad

LECTOREM.



Xestimavi jucundas & utiles esse meditationes, quas ex rerum creatarum contemplatione, de independente, sapienti, benigno & potenti Conditore concipimus. Ipse enim voluit, ut à consideratione operum sensibus nostris expositorum, mente reflectamus ad perfectiones ejus, qui omnibus essentiam dedit & existentiam. Hic mentem nostram formavit, ut cogitando à visibilibus adscendat ad invisibilia, visibiliumque ideas tam arctè conjunxit cum invisibilibus suis perfectionibus, ut anima nondum penitus deformata, vix illas sine reflexione ad has percipiat. Qui seipsum accuratè considerat, nullam animæ facultatem sine bonitatis, sapientiæ, & potentiae divinæ splendore intelligit. Homines, qui neque se ipsos, neque DEUM contemplantur fœda sunt corruptionis humanæ documenta. Multi homines opera DEI splendida conspiciunt, fructibusque admiranda ejus bonitate productis aluntur, sed rarius Summi Benefactoris laudes celebrant. Dolemus, cœlum & terram DEUM

continuò laudare, sed homines mundi sacerdotes rarissimè responsoria canere. Imago divina relucet ex orbe universo & ex singulis ejus partibus, uti speculum integrum & fractæ ejus partes nostram faciem referunt. Rerum quæque creaturarum contemplationes homines ad gratiæ portam ducunt, Theologia enim naturalis characteres quosdam suggerit, tam veræ religionis, quàm divinæ revelationis. Natura nascimur homines corrupti, sed renascimur gratia, quæ lumen purum, clarum & sublimè affundit, quo nati, ad imaginem DEI renati, longè perfectiores redduntur. Multa naturalia per revelationis telescopium vidimus, quæ rationi consentanea. His rationibus motus apud animum constitui, præter fidei doctrinam, quam quotidie publicè trado, etiam quasdam Theologiæ naturalis theses privatim præcipere, persuasus utriusque nexum studiosæ Juventuti & jucundum & utilem fore. Nec spes me fefellit, mox enim plura studiorum incrementa expertus sum in iis, qui his lectionibus & disputationibus attentas aures præbuere. DEUM veneror, ut quæ inter concatenatos labores & molestias scripta sunt, ad amplificationem gloriæ suæ provehat.

The-



THESES

De quibusdam
Theologiæ Naturalis Capitibus.

CAP. I.

De Theologia Naturali in genere.

I.

Theologia Naturalis est scientia practica, quæ hominem ejusque spirituales vires, corpora mundana, DEUM, ejusque perfectiones considerat; eoque meditationes dirigit, ut homo pie erga DEUM, juste & benigne erga homines vivat, DEIque revelationes recipiat.

II.

Theologia Naturalis protoplastis fuit concreata, mox tamen mysteriorum quorundam & legum positivarum revelatione aucta est. Mystera in Paradiso revelata sunt, benedictio protoplastorum, concessio domini in animantia, ciborum designatio. Leges in Paradiso revelatæ, præcipiunt Sabbathi sanctificationem, abstinentiam ab esu cujusdam arboris Paradisi, consociationem unius maris & unius foeminae, Gen. I. 28. 29. Cap. II. 2. 3. ib. 17. 18. 23. 24.

A

III. Con-

III.

Considerat Theologia Naturalis hominem ex anima & corpore constantem. Admiranda corporis structura indicat Creatoris sapientiam, potentiam & bonitatem, Anima invisibilis, simplex, spiritualis, carens partibus & figura, adeoque immaterialis docet, nos pure intelligere, sentire, imaginari, reminisci; docet eadem, nos judicare, & verum a falso, bonumque à malo distingvere posse; ea quoque indicat, nos libere velle, & libere agere posse. Sentimus quoque in anima innatas quasdam inclinationes, quas alii instinctus naturales, alii anticipationes appellant.

IV.

Corpora mundi considerat Theologia Naturalis, tam terrestria, quam cœlestia, quæ utraque egregie delineavit doctissimus Anglus, Wilh. Derham, tam in *Astro-Theology*, quam in *Physico-Theology*, Uterque liber continet discursus occasione Legati Boyliani habitos, qui juxta Testatoris mentem ad defensionem Christianæ Religionis & confusionem Atheorum & infidelium instituuntur.

V.

A contemplatione animæ nostræ & corporum creatorum adscendimus ad cognitionem DEI & perfectionum ejus. Ex omnibus relucet sapientia, potentia, bonitas, justitia DEI. S. Paulus de hac via DEUM cognoscendi perspicue locutus est Rom. I. 19. 20. Consideratio divinarum perfectionum vel potest separatim tradi, vel etiam contemplationibus creaturarum annecti. Mihi jucundum videtur, in quavis creaturæ contemplatione paululum subsistere, & Creatoris perfectiones admirari & venerari.

VI. Non

VI.

Non solum creaturæ separatim sunt considerandæ, sed etiam earum relationes, quas partim ad Creatorem, partim ad se invicem habent, sunt cognoscendæ, ex iis enim bonitas & malitia actionum humanarum relucet. Considera DEum te creasse, tibi que omnes facultates & vires dedisse, mox cognosces DEum à te esse colendum. Inde habes actionem, ante omnem hominum cogitationem, bonam; cui si opponas contrariam, habebis quoque malam. Qui illas relationes non considerat, nec secundum earum dictamen actiones suas instituit, præfert suam voluntatem jussui divino. Recedit enim à natura rerum, aliasque earum relationes sibi fingit, diversas & contrarias illis, quas DEus ipse constituit. Qui parentes contemnit, contemptu suo reluctatur relationi parentum & liberorum à DEO ipso constitutæ.

VII.

Præcipuæ actiones bonæ, ad quas Theologia Naturalis homines obligat, sunt, pie, juste & benigne vivere. Pietas comprehendit omnes actiones religiosas, quas DEO debemus, v. g. Credere existentiam Numinis ejusque perfectiones ex creaturis relucet; agnoscere, DEum esse supremum & independentem omnium rerum Dominum, justumque judicem; sincere vereri, amare, adorare, laudare DEum, contemptum DEI detestari, ipsi obedire & revelationes ejus recipere &c. sunt actiones piæ. Justitia injungit observantiam omnium legum tam divinarum, quam humanarum; requirit eadem integritatem & honestatem in commercio & conversatione cum aliis hominibus custodiendam. Prohibet justitia omnes fraudes, recessiones à promissis & pactis, suppressiones &c. Benignitas sive misericordia

4 DE THEOLOGIA NATURALI

dia comprehendit pium affectum erga miseros, nec non actiones, quibus illi recreantur. Ad has virtutes & actiones impellit Theologia Naturalis omnes homines.

VIII.

Promulgatio legum naturalium, quæ actiones dirigunt, est in natura manifesta & omnibus perspicua. Promulgavit DEUS leges illas 1) per naturales inclinationes mentis, quibus homines quasdam actiones approbant, & alias detestantur, v. gr. Occidere innocentem mens nostra detestatur; conservare miserum approbat mens nostra. Existimo tales inclinationes priores esse mentis ratiocinationibus, observantur enim in pueris, juvenibus, viris & senibus; inveniuntur tam in simplicioribus, quam prudentibus. Uti in brutis quosdam agnoscimus instinctus, qui non dependent à ratiocinatione, sic puto, in hominibus esse quasdam inclinationes, quibus bonæ actiones approbantur & male improbantur.

IX.

Promulgavit DEUS leges naturales 2) per relationes rerum à DEO constitutas. v. gr. Novimus omnes homines esse creaturas DEI mente rationali præditas, hæc relatio sistit nobis DEUM supremum mortalium Dominum; eadem relatio docet, nos esse servos, & in ejus manu nostram vitam & mortem esse positam. Ex hac relatione agnoscimus legem, DEUM esse timendum, adorandum, amandum. Ex ejusmodi relationibus anima nostra cognoscit leges divinas per ratiocinationem, est enim harmonia inter relationes rerum creaturarum, & inter facultatem nostram ratiocinandi.

X.

Promulgavit DEUS leges naturales 3) per consensum hominum. Non existimo, omnes homines quasvis virtutes approbare & omnia vitia detestari, sed saltem puto, pietatem, justitiam,

justi-

justitiam & benignitatem ab omnibus hominibus secreto quodam stimulo approbari & laudari. Omnes historici laudant actiones ex illis virtutibus prognatas, easdemq; commendant posteris; è contrario iidem detestantur vitia contraria, monentque mortales, ut caveant ea. Homines bene agentes, gloriantur de sua innocentia, sed male agentes pudore suffunduntur. Uti illi ad aliorum hominum tribunal provocant, sic hi hominum conspectum effigere student. Posteriores antiquorum benefacta laudibus extollunt, & male facta detestantur.

XI.

DEUS denique promulgavit leges naturales 4) per tranquillitatem & varia commoda, quæ ex observantia legum in homines redundant. Actiones bonæ plerumque suam afferunt utilitatem, uti actiones malæ sua incommoda. Eam actionem plerumque bonam appellamus, quæ commodum; malam vero, quæ damnum affert. Ad hos bonarum actionum characteres frequenter respexi, eosque data occasione exemplis illustravi.

XII.

Ex his apparet præstantissimum esse usum Theologiæ Naturalis. Revelata Theologia supponit principia & præcepta naturalis Theologiæ, eaque confirmat. Præcipit hæc, vitam conformandam esse ad leges naturæ lumine notas, DEUM timendum & amandum, nos confiteri debere nostram à DEO dependentiam: in calamitatibus implorandam ejus bonitatem, pro beneficiis acceptis gratias agendas esse &c. Hæc aliaque præcepta Theologiæ naturalis sunt æternæ veritatis, hominesque perpetuo obligant, si etiam nulla revelatio facta esset; promanant enim ex relationibus in creatione constitutis. Dignitas quoque Theologiæ naturalis ex eo

elucescit, quod ritus in revelata Theologia præscripti **DEO** non placeant, si fiant ab hominibus, qui moralia præcepta negligunt. Hinc Jesaias Cap. I. v. 14. seq. dixit: Novilunia vestra, & festa statuta vestra odit anima mea: facta sunt mihi oneri, defatigatus sum ferendo. Unde quando expanditis manus vestras, occulto oculos meos à vobis: etiam si multiplicaveritis orationes, non audiam: quia manus vestræ sanguinibus plenæ sunt. Lavate vos, purificate vos, removete mala opera &c. Conf. Es. LXVI. 3. Jer. VII. 4. 5. Matth. V. 23. 24. Constat ergo **DEUM** præceptorum moralium observationem præferre ritibus in revelatione præscriptis.

XIII.

Si characteres veræ religionis quærimus, quosdam in Theologia naturali reperimus. Ea religio est divina, quæ nihil docet, quod perfectiones **DEI**, justitiam, benignitatem, sapientiam & potentiam evertit. v. gr. quæ religio docet: **DEUM** esse autorem peccati, eumq; peccatis & pœnis hominum delectari, ea in hac parte graviter errat, invertit enim bonitatem, justitiam & sapientiam **DEI**; quæ religio plures uno **DEOS** colit, falsa & fœda est superstitio. Sic negative inferimus, & falsam religionem ex Theologiæ naturalis principiis removemus.

XIV.

Suggestit quoq; naturalis Theologia characteres quosdam, ex quibus revelationis divinitas cognoscitur. Ea revelatio vera est, quæ nihil tradit, quod Theologiæ naturalis principiis & præceptis repugnat. v. g. Si quæ revelatio doceat, præter **DEUM** creaturas esse religiose adorandas, ea falsa est, quia talis doctrina præcepto Theologiæ naturalis repugnat. Sic illa revelatio est divina, quæ defectus Theologiæ naturalis supplet. Theologia naturalis non docet originem hominum, nec originem peccatorum, nec modum, quo **DEUS** à nobis offensus sit

fit

fit reconciliandus, ut plura alia taceam. DEum placabilem esse utcunque persuademur, sed justitiæ ejus consideratio persuasionem dubiam reddit. Revelationem nostram hos aliosque defectus supplere constat. Conf. Dissert. nostram de necessitate & utilitate Scripturæ S,

XV.

Qui in Theologia naturali hominum corruptionem & miseriam advertit, & deinde ad bonitatem divinam reflectit, perpenditque eam esse maximam erga suas creaturas, ille spem concipit: fortasse DEUS revelavit modum, quo mortales ex miseria sua eripi possunt. Si plures revelationes proferantur, vera à falsis distingvenda erit. Sic Theologia naturalis egregius est pædagogus, qui ad Theologiam revelatam ducit.

XVI.

Sed licet Theologia naturalis plures veritates, & egregia morum præcepta tradat, nullus tamen Philosophus fuit, qui omnia conjunctim docuerit, sed omnes, quotquot habemus, Philosophi errores plurimos admiserunt, quod fuse docet Autor Historiæ Philosophiæ Paganæ, T. II. Cap. XXXIV. Hæc est revelationis divinæ dignitas, ut sola sine errore doceat divinas veritates, licet, quod dolemus, interpretes suo vitio in varias discedant sententias.

XVII.

Id quoque consideratione nostra dignum est, Theologiam naturalem post Salvatoris ascensionem in cœlum longe pleniorum & perfectiorum comparuisse, quam antiquioribus temporibus. Philosophi pagani, qui post Christum vixerunt, longe clarius & solidius tradiderunt præcepta moralia, quam antea factum est. Mihi quoque videntur illi majori cum certitudine de vita futura scripsisse, quam antea scriptum est.

Cu-

Cujus rei nullam possum dare causam; præter hanc, quod revelatione Christi quocunque modo illuminati scripserint. Quando revelatio perspicue præscribit, charitatem erga inimicos esse exercendam, sana ratio percipit, illud præceptum lumini naturali non esse contrarium, licet antea eidem fuerit ignotum. Ex quo inferimus, rationem quidem esse excolendam, sed revelationem longe majori pretio esse æstimandam.

XVIII.

Quamvis Theologia naturalis nostris temporibus plura ceperit incrementa, affectus tamen humani frequenter ejus dictamina superant. Homines enim in actionibus suis non rationis dictamen, sed frequenter pravorum affectuum ductum sequuntur, seipsosque in perniciem præcipitant. Unde intelligimus honestatis & æquitatis principia hominum mentibus inscripta esse debilia, & nisi gratiæ vires accedant, & corruptioni humanæ medelam afferant, omnes homines in summa miseria vivere, & in eadem tandem perire.

CAP. II.

De Notitia DEI insita & acquisita.

I.

PRincipium, ex quo conclusiones in Theol. nat. deducuntur, est cognitio existentia DEI. Qui enim DEum, ejusque attributa cognovit, fatebitur eum esse adorandum & colendum. Consideratio naturæ divinæ non determinatur tantum ad speculationem; sed ad commotionem cordis & praxin pronâ sequelâ ex ea fluentem.

II.

Notitia DEI homini inest, vel ante usum rationis, vel post usum rationis. Prior insita, altera acquisita dicitur.

III.

III.

Notitia Dei insita est connata potentia mentis propinqua, quæ apprehensis terminis externe advenientibus sine ope præceptoris Deum ejusq; leges cognoscit. vid. B. Scherzeri Breviarium Hülsem, Cap. II p. 85. seqq.

IV.

Dissentiunt eruditi in definitione modi, quo notitia illa menti inest. Sunt, qui eam per modum specierum impressarum inesse velint. Sic Scaliger Exercit. 307. dist. 22. *ea species (universales) non a sensu depromptæ, sed innatæ sunt.* Sed recte existimat B. Calovius, eam sententiam sufficientibus rationibus destitui, nec carere difficultatibus, nisi dextre explicetur. Vid. Syst. Tom. II. Sect. II. qu. III. p. 80. & Scripta Antifoc. de existentia DEi §. 20. p. m. 37.

V.

Alii putant, eam notitiam inhærere menti per modum habitus connati, sed rectè addit B. Scherzerus in Breviar. Hülsem. Cap. II. Th. I. p. m. 85. *exercitationi intellectus, iniquiens, opponitur voluntaria ignavia, injusta detentio. Rom. I. 19. 20. 21. & II, 2. seqq. qui habitus non sunt connati, nec oppositi aliis habitibus, sed potentia & inde fluenti actui, adeoq; manifeste ostendunt, cognitionem illam naturalem inesse homini per potentiam, non vero per infusum habitum.*

VI.

B. Musæus in ausführl. Erklähr. Loc. III. p. 151. putat, notitiam Dei natura hominum mentibus insitam, esse vim ac lucem cognoscendi cum insita quadam ad Deum inclinatione, qua, apprehensis terminis, intellectus, citra aliquam aliunde assumptam rationem cognoscendi, ad assensum determinatur. Cujus sententia parum recedere videtur a

B

senten-

sententia B. Scherzeri. Conferatur Ejusd. Introd. in Theol. cap. II. thes. XIX. & seqq. p. 52. seqq.

VII.

Qui perpendit, dari abnegationem Dei, & injustam notitiæ Dei detentionem, speciesq; intelligibiles ante rationis usum naturaliter non inesse homini, magis propendebit in B. Hülsemanni & Scherzeri sententiam, quam amplectimur.

XIII.

Quia Rom. I. 19. 20. 21. & II. 14 legimus, eam notitiam $\Phiύσῃ$ inhære, modus vero, quo inhæreat, non determinatur; non existimo, damnandos esse, qui in definitione modi dissentiunt.

IX.

Certum est, hanc notitiam non esse nudam potentiam Deum cognoscendi, alias enim omnes notitiæ acquiræ insitæ dici possent. Scientiæ acquiræ, earumq; conclusiones intelliguntur demum interveniente alia quadam cognitione. Intellectus enim ex præmissis cognitio determinatur ad assensum conclusionis. Sed notitia insita non eget alia præcedente ratione.

X.

Potentia propinqua propterea dicitur, quia potentiæ cognoscendi naturali indita est à Deo perfectio connata quædam, quæ faciliat & promptam reddit cognitionem Dei. Hæc perfectio est vestigium imaginis divinæ; uti hæc in cognitione DEi Col. III. 19. & in justitia & sanctitate Eph. IV. 24 posita fuit; sic notitia insita involvit aliquale lumen notitiæ DEi, & aliqualem inclinationem ad bonum.

XI. Hæc

XI.

Hæc potentia propinqua menti profunde inhæret & difficulter mobilis est, constituitq; intellectum pronum ad actus Deum cognoscendi producendos.

XII.

Potentia hæc cum sua perfectione est realis; partim, quia naturali propensione ad notitiam Dei ducimur, partim, quia ideæ hujus notitiæ menti virtualiter insunt. Conf. Max. Rev. Fœrtschii Select. Theol. Breviar. §. XLVIII. p. 86.

XIII.

Hæc notitia insita non quærenda est in imaginibus vel vocabulis impressis. Qui enim omnia mentis cogitata in his quærent, nec aliarum mentis operationum conscii sunt, difficulter notitiam hanc cognoscunt. Uti per colores non cognoscimus sonos, sic per imagines verum Deum non cognoscimus.

XIV.

Habet mens potentiam propinquam seu vim vel perfectionem aliquam ingenitam repræsentandi sibi Deum, tanquam ens supremum & verum creaturarum autorem.

XV.

Quando termini vel vocabula à nobis extrinsecus apprehenduntur, sine ulteriori discursu vel argumentatione supremi entis existentiam & cultum verbis affirmamus externe.

XVI.

Hinc juvenes neq; scientiis neq; experientia instructi, nec præjudiciorum labe contaminati de Deo ejusq; cultu interrogati prompte respondent. Ex quo manifestum est, notitiam Dei non dependere ab externis aliorum opinionibus vel imaginationibus.

XVII.

Nec obstat, esse homines prave educatos, voluptatibus corruptos, vitiisq; absorptos, qui non mentis, sed præjudiciorum, affectuum & cupiditatum dictamini auscultant. Potentia enim Deum cognoscendi semper adest, sed præponderat depravatæ voluntatis desiderium.

XVIII.

Neq; omnes impii, licet dissimulare studeant interiores mentis contradictiones, easdem satis caute suppressere possunt, ut non quandoq; secretas mentis cogitationes in discursu prodant.

XIX.

Voluptuosus, avarus, superbus, voluptatibus, opibus, honoribus libentius fruuntur sine Dei, quam cum Dei offensione, quod desiderium notitiæ Dei insitæ effectus est.

XX.

Supposita æquali impunitate & æquali lucri quantitate homo etiam depravatus lubentius lucrum capiet sine transgressione divinæ voluntatis, quam cum ejusdem offensione.

XXI.

Effectus quoq; notitiæ Dei insitæ est, quod homines de alterius crimine rectius iudicium ferant, quam de suo specie non diverso; ex quo manifestum est, homines in propriis delictis interiora mentis dictamina dissimulare & abscondere.

XXII.

Pilatus eo tempore, quo Christi innocentiam ex Numinis metu declaraverat, de eodem ex Cæsaris metu sententiam mortis pronunciat. Joh. XVIII, 38.

XXIII.

XXIII.

Vitia, contemptus Numinis, blasphemia, perjurium, licet in mundo satis frequentia, a genere tamen humano nondum approbantur.

XXIV.

Describe sub nomine ignoto summi Numinis contemptorem, & interroga alium Numinis contemptorem, quid de illo sentiat; experieris, hunc illum condemnare.

XXV.

Ex insita Dei notitia est illa Philosophorum πρόληψις, de qua Cic. de Nat. Deorum L. I. cap. 32. *quæ gens est, aut quod genus hominum, quod non habeat sine doctrina anticipationem quandam Deorum, quam appellat πρόληψιν Epicurus.* & Tusc. Quæst. L I. *Nulla est gens tam fera, nemo omnium tam immanis, cujus mentem non imbuerit Deorum timor.* Et Seneca Epist. 117. *Nulla gens usquam est adeo extra leges moresq; projecta, ut non aliquos Deos credat.*

XXVI.

Paulus Rom. II. 14. 15. insitam respicit Dei notitiam, dicens: gentes, quæ legem non habent, natura faciunt ea, quæ legis sunt, ejusmodi legem non habentes sibi ipsis sunt lex; qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis.

XXVII.

Qui natura faciunt ea, quæ legis sunt, illi agnoscunt natura legislatorem & legem. Qui enim natura aliquid facit, ille principium naturale operandi habet.

XXVIII.

Cujus cordi inscriptum est opus legis, illi intrinsece inest notitia legislatoris & legis.

B 3

XXIX.

XXIX.

B. Chrysoſt. Homil. V. in Epist. ad Romanos recte ex Pauli verbis infert: *Per hæc rursus ostendit (Paulus) Deum sic hominem finxisse, ut possit per se virtutem eligere ac vitium declinare.* Quod de virtutibus quoad substantiam actus cum lege morali convenientibus, & enormibus vitiis dictum approbamus.

XXX.

Ad insitam quoque notitiam, non tamen exclusam acquisitam, Paulus quoque mentem intendit. Rom. I. 18. 19. *Palam est ira DEI e cælo adversus omnem impietatem & injustitiam hominum, ut qui veritatem injuste detinent.* Quoniam notum DEI manifestum est in ipsis: *Deus enim eis manifestum fecit.*

XXXI.

Ira DEI manifestata est contra ἀσεβειαν, i. e. Atheismum & idololatriam, & ἀδικίαν, i. e. mores ex ἀσεβεία prorumpentes, sive omnis generis vitia eorum hominum, qui veritatem i. e. notitiam DEI innatam sive discrimen honesti & turpis, quasi captivam detinent, ut se ad pietatis & justitiæ opera externa non exserat. Quoniam γνωσὸν τοῦ Θεοῦ notum DEI i. e. γνώσις, cognitio DEI (uti Rom. II. 4 γνωσὸν τοῦ Θεοῦ, benignitas DEI) manifestum est in illis, i. e. eorum mentibus inest, secundum communiorum interpretum sententiam.

XXXII.

Verfu 20 addit, Paulus gentiles propter naturalem DEI notitiam fieri inexcusabiles. Ex quo colligimus Paulum magis ad innatam DEI notitiam respexisse, quam ad acquisitam; acquisita enim DEI notitia, quæ per subtiles argumentationes acquiritur, non videtur gentiles inexcusabiles red-

red.

reddere, plures enim sunt rudioris ingenii, & ad subtiles argumentationes philosophicas inepti. Vid. B. Schomer. ad h. l.

XXXIII.

Cl. Lockius in Essai Philosophique concernant L'entendement Humain L. I. ch. I. negat innata principia tam theoretica, quam practica. Sed mihi videtur, doctissimum virum non recte percepisse eorum sententiam, qui innatam notitiam defendunt. Existimat enim notitiam insitam esse talem, quæ se sine externa vocabulorum explicacione exferere debeat, qualem nos non defendimus.

XXXIV.

Sententiam hanc explicat c. l. §. 2. p. 10. *Sunt quedam principia tam theoretica, quam practica, de quorum veritate conveniunt omnes homines; ex quo inferunt ea principia esse impressa, quæ nostræ mentes accipiunt cum existentia, eaq; secum apportant in mundum; impressiones ipsis esse communicatas modo tam necessario & reali, uti alia facultates inherentes, quæ in omnibus hominibus reperiuntur. Per facultates sine dubio intelligit habitus acquisitos.*

XXXV.

Clarior est ejus sententia ex §. 5. c. l. ubi dicit: *infantes & simpliciores non habere minimam ideam eorum principiorum, nec de eis ullo modo cogitare. Quod sufficit ad destructionem consensus universalis, quem veritates innate necessario producant.* Concipit Lockius notitiam, quæ per habitum proprie dictum explicatur.

XXXVI.

Sed supra thesi V. ostendimus vocabula, quæ in sensus incurrunt, prius explicanda esse, quam innata notitia sese exferere possit. Præterea thesi IV. diximus, illa principia
non

non inesse menti per modum impressarum idearum. Denique thes. III. definivimus notitiam insitam per potentiam propinquam cum perfectione quadam conjunctam, confer. th. X. Ex quibus patet, nostram sententiam plurimum differre a sententia, quam sibi finxit Lockius.

XXXVII.

Quod vero dicit l. c. §. 5. p. 12. *difficillimum esse comprehendere, aliquam rem esse menti impressam, licet mens eam non percipiat.* Respondeo, facillimum esse, ejusmodi rem comprehendere. Velim, ut consideret senes, quorum menti sine dubio insunt non solum notitiæ insitæ, sed & acquisitæ, nihilominus tardiores vel plane incapaces sunt ad explicandas illas notitias. Quæ tarditas & incapacitas non est ex defectu potentiæ propinquæ, quæ menti inest, sed ex infirmitate corporis, quæ vocabulorum notiones non habet in parato,

XXXVIII.

Nec nobis obstat, quod Cl. Lockius l. c. p. 13. dicat: *Si per impressiones naturale intelligatur capacitas animæ quasdam veritates cognoscendi, sequi, omnes veritates, quas homo cognoscit, esse veritates innatas.* Respondemus enim magnam esse differentiam inter veritates innatas & acquisitas. Illæ enim approbantur ab homine præjudiciis non corrupto, sine addita cognitione alia, quæ intellectum determinat, juxta thesin XV. & VI. Hæ vero percipiuntur præcedente alia cognitione, quæ intellectum determinat, juxta th. IX.

XXXIX.

Misis reliquis in eo quoq; Cl. Lockius a nostra sententia recedit, quod L. II. ch. XII. p. 174. *intellectum comparat cum camera obscura, quæ exigua habet foramina (sensus intelligit) per*

per quæ imagines exteriores & visibiles (id est phantasmata, species extrinsecus advenientes) ingrediuntur, seseque conspiciendas menti sistunt. Ex qua comparatione apparet, Lockium omne lumen menti insitum tollere.

XL.

Mihi videtur, ejusmodi Philosophos privare mentem facultate intelligendi, reddereque intellectum obscurum, qui proprio lumine radiat. Velim, ut perpendant, quotidie fere nova instrumenta, novaque ædificia multum ab aliis hucusque visis differentia, novasque artes inveniri & ob oculos poni, quod fieri non posset, si intellectus esset camera obscura, quæ nihil luminis haberet, præter illud, quod per sensus extrinsecus accessit.

XLI.

Si intellectus est camera obscura, omnis nostra scientia est tantum memoria eorum, quæ vidimus & audivimus. Recte Clarissimus Croufaz in *Logique Part. I. Sect. I. Ch. III. p. 33.* *Ce raisonnement, inquit, me paroît assez convenir à des gens qui ne font pas cas de l'Entendement, & n'en veulent pas faire usage.* Cum quo consentit Clariss. Wolff. in *den vernünfftigen Gedancken von Gott 2c. Cap. V. §. 820. p. 451.* Es hat sowohl vor diesem Aristoteles, als in neuern Zeiten Locke in Engelland sich eingebildet / als wenn die Begriffe der Cörperlichen Dinge von aussen in die Seele hinein kämen / und also die Seele keine derselben haben würde / wenn sie nicht einen Leib hätte. Und hat Aristoteles deswegen die Seele mit einer wächsernen Tafel verglichen / die vorsich ganz glatt ist / und bleibet / wenn nicht durch eine auswärtige Kraft Figuren drein gedrucket werden. Et post pauca: Sie (diese hypothesis) schicket sich
C für

für diejenigen / die sich alles einbilden wollen / aber nicht gerne viel nachdencken.

XLII.

Intellectus duplex esse dicitur, *passivus* & *activus*. *Passivus* dicitur, quando mens nostra rem extra nos existentem, per repræsentationem ejusdem, apprehendit. Camera obscura vel speculum imagines quidem recipit, sed non apprehendit, quia caret facultate rem sibi repræsentandi. Agit ergo mens etiam in rerum apprehensione.

XLIII.

Intellectus *activus* dicitur, quando mens rem apprehensam contemplatur, eandem antea apprehensam in memoriam revocat, eandem auget vel minuit, res plures conjungit, de iisdem propositiones format. Dum vero mens hæc facit, repræsentat res, quæ antea in intellectu non fuerunt.

XLIV.

Clar. Lockius intellectus operationes agnoscit, easque explicat, sed diversa ratione. Conf. L. II. Ch. I. §. 4. p. 95. Adducit ibi duos idearum fontes, alterum sensationum, alterum reflexionum appellans. Si has mentis reflexiones consideramus, haud difficulter ad insitam de Deo, discrimineque honesti & turpis notitiam pertingimus.

XLV.

Supponamus, quod in dubium non vocatur, omnes homines nasci cum facultate reflectendi & judicandi. Deinde observemus, omnes homines exercere illam facultatem modo uniformi, omnes Deum agnoscunt, factaque turpia inter vitia, & honesta inter virtutes reponunt. Hoc uniforme judicium supponit innatam facultatis dispositionem uniformem. Ergo nascuntur homines cum facultatis po-
ten-

tentia & inclinatione ad cognitionem DEI, honestorum & turpium, tendente,

XLVI.

Nec obscurat hanc universalem inclinationem quorundam hominum male educatorum diversa inclinatio diversumque iudicium; sufficit, homines natura pollere facultate ad cognitionem illam perveniendi, & experientiam testari, tot homines uniformi ratione ad illam notitiam pervenisse.

XLVII.

Nec obstat, non omnes homines de notitia Dei, discrimineque honesti & turpis differere; qui enim mentis operationes accurate examinat, duplicem cognitionem advertit, nempe intuitivam & verbis expressam. *Intuitiva* est, quando mens ipsas res repræsentatas contemplatur; *verbis expressa* est, quando mens res præsentatas & consideratas verbis vestit, easque vel ore eloquitur, vel in charta describit. Prior carere potest vocabulis, non vero posterior.

XLVIII.

Quam longè Clar. Lockii sententia recedat a Sacræ Scripturæ effatis ostendit summe Rever. Fœrtschius in Selectorum Theolog. Breviario. §. LI. p. 73. seqq.

XLIX.

A descriptione Theologiæ insitæ ad acquisitam progredimur ostensuri, quibus rationibus hæc ex rerum creaturarum contemplatione ad Dei notitiam adscendat.

L.

Disputatum est prolixè, utrum ex idea Dei, entis perfectissimi, quæ omnibus hominibus inest, demonstrari possit Dei existentia, Cartesius Princ. P. I. num. XVIII. p. m. 4. seqq. affirmativam tenet sententiam: *Sic quia Dei*, inquit,

quit, sive entis summi ideam habemus in nobis, jure possimus examinare, a quam causa illam habeamus; tantamq; in eâ immensitatem inveniemus, ut plane ex eo simus certi, non posse illam nobis fuisse inditam, nisi à re, in qua sit vera omnium perfectionum complementum, hoc est, nisi a Deo realiter existente. Est enim lumine naturali notissimum, non modo a nihilo nihil fieri, nec id quod est perfectius ab eo, quod est minus perfectum, ut a causa efficiente & totali produci. Sed neque etiam in nobis ideam sive imaginem ullius rei esse posse, cujus non alicubi sive in nobis ipsis, sive extra nos, Archetypus aliquis omnes ejus perfectiones reipsâ continens, existat. &c.

LI.

Cartesii sententia hæc est: 1.) esse in hominibus ideam entis perfectissimi, id est, homines habere cogitationem entis perfectissimi, in quo sit omnium perfectionum complementum. 2.) illam entis perfectissimi cogitationem, non esse ex consideratione rerum creatarum, quia hæ non sunt perfectissimæ, non sunt æternæ, omniscia, omnipotentes &c. 3.) Inde infert ideam entis perfectissimi esse immediate menti ingenitam. Conf. c. l. num. XXII. & Medit. 3. p. m. 21.

LII.

Nos concedimus 1.) hominibus inesse ideam entis perfectissimi, comparamus enim ideam hominis cum ideâ entis perfectissimi, & cognoscimus, hominem infinitis modis esse imperfectiorem ente perfectissimo. Sed negamus 2.) ideam entis perfectissimi non esse ex consideratione rerum creatarum. Creaturæ enim, quæ sunt Dei effectus, sunt simul signa, vel indicia essentia divinae & perfectionum essentialium. Res creatæ, quæ in sensus nostros cadunt, effici-

efficiunt phantasmata vel imagines in nobis, quas mens sibi repræsentat & contemplatur. Mens sollicita quær. ^t rerum creatarum causam efficientem, quæ earum materiam, formam, motumque produxit, quosque fines respexerit? Hac facta contemplatione, menti humanæ, quæ potentia Deum considerandi instructa est, sese offerunt essentia & perfectiones entis infiniti. Cognoscit mens potentiam, sapientiam, bonitatem, omniscientiam &c. Inde est, quod divus Psalter Ps. XIX. 1. 2. docuerit: *cælos enarrare gloriam Dei, & firmamentum indicare opus manuum ejus.* Idem quoque confirmat S. Paulus Rom I. 20. *τὰ ἀκρόατα ἀύβη, invisibilia ejus, a creatione mundi τοῖς ποιήμασι νοούμενα καὶ δοξαζόμενα, ex rebus creatis intellecta perspicuntur, æterna videlicet ejus potentia & divinitas:* Ubi Paulus docet a) inde à creatione mundi (conf. Matth. XXIV. 21. cap. XIII. 35. Luc. XI. 50. Hebr. IV. 3.) Deum cognitum esse ex creaturis, b) medium illius cognitionis fuisse creaturas, *ποιήμασι νοούμενα.* Inde 3) sequitur ideam Dei non esse immediate ingenitam, licet potentia menti sit ingenita, quæ ad cognitionem Dei inclinatur.

LIII.

Mea quidem sententia non est, Viris eruditissimis hac in parte dissentientibus studio contradicere, attamen quia omnes veritatis discipuli sumus, addam breviter, quæ objectionibus satisfacere videntur. Objicit Cartesius supra §. L. & in Medit. 3. p. m. 16. res creatas non posse efficere ideam infiniti, quia tantum debet esse in causa efficiente & totali, quantum in ejusdem causæ effectu. Audiamus eum: *illa, (idea) per quam summum aliquem Deum æternum, infinitum, omniscium, omnipotentem, rerumque omnium, quæ præter ipsum sunt, creatorem intelligo, plus profecto realitatis objectivæ in se*
C 3
habet,

babet, quam illæ, per quas finitæ substantiæ exhibentur. Jam verò lumine naturali manifestum est, tantumdem ad minimum esse debere in causâ efficiente & totali, quantum in ejusdem causæ effectû: nam quæso, undenam posset assumere realitatem suam effectus, ni a causa? Et quomodo illam rei causa dare posset, nisi etiam haberet?

LIV.

Respondetur: Non apparere rationem, ob quam idea entis perfectissimi ex rebus creatis non hauriri possit? Concedo equidem, res creatas immediate non producere in mente infinitas Dei perfectiones; sed nego, eas non produci posse a rebus creatis, mediante discursu vel reflexione. Simili rem declarabo: adspiciamus ædificium egregium, consideremus proportionem ubique servatam, commodissima hypocausta, fenestras, januas, scalas recte ordinatas &c. nonne ex his inferimus, architectum fuisse intellectu & voluntate præditum, suæque artis peritum? Hæc argumentatio semper procedit a cognitione effectus æquivoci, ad cognitionem causæ efficientis, ejusque perfectionum. Si objeceris, in ædificio non esse intellectum & voluntatem, scientiam architectonicam; respondeo; has quidem perfectiones non inesse ædificio formaliter & actu ipso, inesse eas tamen potentiâ & virtualiter. Ædificii enim consideratio nos ducit ad agnitionem periti architecti. Eodem modo ideam Dei in nobis produci existimo, creaturæ enim sunt signa & indicia Creatoris, ejusque perfectionum. Nam qui creaturarum multitudinem, varietatem, formas, figuras & effectus intuetur, agnoscit, eas esse productas a causa, cujus scientia, sapientia, potentia, bonitas est infinita.

LV.

LV.

Objicit porro Cartesius: ideam Dei prius inesse menti, quam idea rerum creatarum. Audiamus eum Med. 3. p. m. 18. ita differentem: *Nec putare debeo, inquit, me non percipere infinitum per veram ideam, sed tantum per negationem finiti, ut percipio quietem, & tenebras per negationem motus & lucis; nam contra manifestè intelligo plus realitatis esse in substantia infinita, quam in finita, ac proinde priorem quodammodo in me esse perceptionem infiniti, quam finiti, hoc est Dei, quam mei ipsius: qua enim ratione intelligerem me dubitare, me cupere, hoc est, aliquid mihi deesse & me non esse omnino perfectum, si nulla idea entis perfectioris in me esset, ex cujus comparatione defectus meos agnoscerem?* Respondeo, non esse necesse, ut rei finitæ cognitionem semper præcedat cognitio entis perfectissimi; Possum enim cognoscere, me pollere facultatibus quædam intelligendi, volendi & efficiendi, deinde ex plurium rerum cognitione possum intelligere facultates primi conditoris esse longe perfectiores, imo infinitas, & tandem ex utrarumque comparatione colligere, facultates meas esse imperfectas. Sic præcedit cognitio rei finitæ & sequitur cognitio entis infiniti. Nec veritati est consentaneum homines suas imperfectiones semper cognoscere ex comparatione cum perfectione entis infiniti. Studiosus enim juvenis cognoscere potest suam scientiæ imperfectionem, si eam componat cum scientia Viri eruditissimi longè perfectiori. Denique suam intelligendi & efficiendi imperfectionem intelligit homo, si mentem convertat in res in mundo existentes, quas neque intelligere neque efficere potest. Ex quibus evidens est, ad imperfectionis cognitionem non semper requiri entis perfectissimi ideam innatam.

LVI.

LVI.

Quæstio eadem inter Viros Clarissimos, Lamium & Brillonium agitata est: utrum ex idea entis perfectissimi existentia Dei probari possit? Negat hoc Brillonius, affirmat vero Lamius. Brillonius existimat; aliud esse, dicere, ens perfectissimum, aut quod omnes perfectiones imaginabiles habet, existit; & aliud esse dicere: effective existit ens quoddam, quod habet omnes perfectiones imaginabiles. Addit rationem: primam propositionem esse hypotheticam, quia supponit, esse in natura quoddam ens omnibus imaginabilibus perfectionibus præditum, quo supposito sequitur, necessario illud existere, quia existentia est fundamentum & prima perfectio omnium reliquarum. Hanc propositionem per se ipsam esse notam & ab omnibus agnitam. Propterea demonstrationem tantum probare propositionem hypotheticam, scil. si ens perfectissimum existit, necessario existit; non verò secundam propositionem: effective existere ens aliquod perfectissimum. Cl. Lamius respondet: ad probandam existentiam Dei adhiberi posse hoc medium probandi: ens perfectissimum existere, & hac ratione eam propositionem non esse hypotheticam; sed indicare, ideam Dei involvere ens perfectissimum, Conf. Memoires pour l'histoire des Sciences & des beaux Arts. Janv. & Fevr. 1701. Artic. XX. p. 112. seqq.

LVII.

Persequuntur hanc controversiam sequentibus rationibus. Cl. Brillonius negat demonstrationem existentia Dei ex idea entis perfectissimi acceptam, quia ens perfectissimum à mente ex arbitrio suppositum, non statim existit. Posito enim, mentem concepisse equum alatum, vel statuatam loquentem ex eo non sequitur, equum alatum, aut statu-

statu-

statuam loquentem existere. Respondet Lamy, ideam entis perfectissimi à mente conceptam non esse ex arbitrio suppositam, uti illam equi & statuæ, sed esse necessariam. Ideam enim entis perfectissimi se menti repræsentare etiam nobis nolentibus, nos non posse ullam perfectionem ab ea excludere, nec existentiam ab ea removere, nos illam non finxisse, quia ei nihil possimus addere vel demere, eam esse naturalem, nobisque inesse sine arte, sine contentione, sine labore, eam nobis esse præsentem, uti rem quandam necessariam, immutabilem & æternam &c. Excipit Brillonius, nostram ideam vel cogitationem rebus non dare realitatem vel actualitatem. Respondet Lamy: non nostram cogitationem, sed rei ipsius necessitatem dare realitatem, necessitatem existentia Dei nos determinare, ut habeamus hanc ideam. Conf. Memoires l. c. p. 117.

LVIII.

Addam breviter quid de hac controversia sentiam; non studio contradicendi, sed veritati inserviendi. Quæstio est utrum ex idea entis perfectissimi, quæ omnibus hominibus inest, probari possit existentia Dei. Negat Cl. Brillonius ea ratione ductus, quod ideæ nostræ non dent realitatem rebus extra nos existentibus. Affirmat Cl. Lamy, quia ideam Dei nobis præsentem, non ipsi finximus, sed existentia divinæ necessitas nos terminavit, ut ens perfectissimum cogitemus. Existimo, in idea Dei tria esse consideranda: 1) *potentiam* mentis humanæ, quæ eam concipit, 2) *esse objectivum idea*, quod quibusdam vicarium appellatur, quod est ens perfectissimum mente cogitatum, & 3) *modum productionis*, quo mens nostra determinatur, ut ens perfectissimum cogitet. Si in idea entis perfectissimi consideres solum esse objectivum vel vicarium, ex ea

D

non

non probatur Dei existentia. Et recte dixit doctissimus Brillonus nostram cogitationem non dare rebus realitatem. Cogitare possumus aureos montes, equos alatos &c. qui non existunt. Si vero in idea entis perfectissimi respicias potentiam mentis nostræ, quæ post rerum creatarum contemplationem reflectit ad earum causam primam; si que consideres modum productionis, res nempe creatas fuisse signa & indicia divinarum perfectionum, quæ intellectum determinarunt, ut ideam entis perfectissimi habeat, concedendum est, ex hac idea probari Dei existentiam. Sed hac ratione non solum ideæ esse objectivum vel vicarium, sed partim potentia innata, partim res creatæ perfectiones Dei indicantes dant realem Dei existentiam. Idea hoc sensu accepta est necessaria, naturalis, nobis etiam invitis præsens, immutabilis, quod urget Cl. Lamy. Videantur plura in B. D. Grapii Theol. Recens. Controv. qv. III. p. 10. seqq.

CAP. III.

De

Conscientia Divinitatis teste.

I.

CUm idea Dei hominibus natura nota conjungo conscientiam hominis, quæ quoque existentia divinae testis est.

II.

Conscientia est iudicium hominis de propriis actionibus juxta leges divinas institutum. Conscientia itaque importat, 1) legum scientiam, 2) actionis propriæ notitiam, 3) hujus relationem ad legem, ex qua sequitur convenientia.

tia.

tia actionis cum lege vel discrepantia ab eadem 4) iudicium, quod propter convenientiam actionis cum lege, ejus bonitatem, Deumque propitium; & propter discrepantiam ejusdem a lege, ejus pravitatem, offensumque Deum agnoscit.

III.

Non probanda est Petri Chauvini conscientia definitio: *Conscientia est Deus menti nostrae insidens, cumque ea intime differens.* De Relig. Natur. P. I. cap. 14 p. m. 258. Deus quidem loquitur cum hominibus per conscientiam rectam, & manifestat, quae vera & falsa, quae agenda & omittenda sint; non vero Deus, sed mens conscia leges divinas & facta intelligit, expendit & dijudicat. Vid. Buddei Animadv. ad hunc librum.

IV.

Considero h. l. conscientiam, quomodo se habet secundum naturam, de qua Paulus loquitur Rom. II. 15. quia ex hac divinae existentiae argumentum desumo. Considerationem conscientiae quomodo se secundum gratiam in re genitis habeat, instituit Summe Rev. Buddeus in Instit. Theol. Mor. P. I. Cap. I. Sect. III. §. XI. p. m. 81.

V.

Conscientia commode dividitur in *certam* & *probabilem*, nostrae enim ratiocinationes vel certae sunt, vel probabiles. Certa est, quando legis divinae & actionis nostrae certam habemus scientiam. Probabilis est, quando vel lex, vel actio nostra, vel utraque probabilibus rationibus nititur. Tam conscientia certa, quam probabilis potest esse recta, quia rectum quandoque sub probabili ratione concipitur.

VI.

Recta conscientia est, quae legis & facti scientiam veram

D 2

ram

ram habet. Ei opponitur conscientia *erronea*, quæ leges falsas, facta falsa aut incerta pro veris habet. Erronea conscientia a quibusdam pro conscientia non habetur, quos refutare studuit Cl. Witsius Miscell. Sacror. Tom. II. Exercitat. XVIII. p. m. 598. seqq. Existimo conscientiam erroneam non esse conscientiam, si conscientia appellatur *judicium de factis veris secundum leges veras institutum*. Si vero conscientia latiori sensu accipiatur, & sit *judicium de factis quomodocunque cognitis secundum leges sive falsas, sive veras latum*, erronea quoque recte conscientia appellabitur. S. Paulus erroneam conscientiam *συνείδησιν* conscientiam appellavit. I. Cor. X. 29.

VII.

Dixi, conscientiam esse *judicium mentis de actionibus nostris secundum leges divinas institutum*. Quæstio nunc erit, qua ratione mens humana leges illas suo lumine cognoscat? Respondeo, mentem cognoscere leges Dei naturales ex rerum relationibus, quas inter se habent. v. g. Si consideremus, Deum esse infinitis modis superiorem omnibus hominibus. Deum esse æternum, hominem momentaneum. Deum esse Creatorem, hominem creaturam. Deum dedisse homini bona animæ & corporis; hominem Deo nihil dare posse. Ex consideratione harum & similium relationum, quas mens cognoscit, vi potentiaæ innatæ trahimur ad has propositiones: Deum esse honorandum devotis cogitationibus internis; ipsi esse serviendum externis corporis membris, lingua, manibus, cunctisque actionibus externis; Possibile esse, ut summus Conditor hominem feliciorum & infeliciorum reddat. Hæc aliaque mens tam clare cognoscit, quam clarè scit circumferentiam circuli majorem

rem

rem esse puncto. Cognoscit illas propositiones esse æternas, quia relationes ex quibus fluunt, æternæ sunt.

VIII.

Si leges, quæ hominum commercia respiciunt, cognoscere velis, attendas necesse est ad relationes, quas homines inter se habent. v. g. Si homines plures extra societatem & separatim viventes consideras, videbis eos esse miseros, alter enim alterius ope est privatus. Cognosces in solitudine & voluptatem, & ambitionem & avaritiam nutriri. Si vero homines in societate viventes intuearis, cognosces, alterum alteri subvenire, & plures misérias tolli. Ex quibus relationibus inferes, homines feliciores in societate, in urbe, in pago, quam in solitudine degere. Si homines ad furta, ad fraudes, odia & homicidia prolabi videris; judices communes optabis, qui innocentem tueantur, & malefacientem puniant, quo ejusmodi malefacta ex societate tollantur. Cognosces tam communis Judicis, quam civium ipsi subditorum officia.

IX.

Finis, qui nostra judicia ex cognitis relationibus faciendâ dirigit, est perfectio generis humani & societatis. Tenetur homo id agere, quod perfectionem generis humani & societatis promovet. Sed per cultum Numinis & officia hominum mutua perfectionem generis humani promoveri, mens facile cognoscit. Ex hoc principio omnes leges naturales & positivæ politicæ ortæ sunt. Prudentiores considerant mutuas rerum relationes & respexerunt ad id, quod perfectionem vel hominum omnium, vel civium certi loci promovet, inde natæ sunt leges hominibus præscriptæ. Leges, quæ perfectionem totius generis humani respiciunt, sunt immutabiles; quia relationes rerum, á quibus dependen-

dent, sunt immutabiles. Quæ vero perfectionem certæ tantum societatis concernunt, sunt mutabiles, quia mutato societatis statu mutari possunt. Sic Deus per vires mentis nostræ ad hæc judicia propensas suam voluntatem manifestat.

X.

Si Leges veræ per pronas mentis facultates ex rerum relationibus immutabilibus cognoscuntur, sequitur, conscientiam strictè dictam non esse opinionem de factis nostris per educationem, conversationem & consuetudines regionis acquisitam. Talem conscientiæ definitionem dedit Lockius de Intellectu Humano. L. I, ch. II. §. 8. Supponitur in ea 1) Deum non dedisse fixam regulam, quam mens posset cognoscere, 2) educationem, conversationem & consuetudinem esse normam conscientiæ, quod utrumque falsum est. Erroneam conscientiam ex illis fontibus plerumque promanare, concedo; sed rectam ex iis semper hauriri, nego. Deus nobis facultates pronas dedit, quibus veras leges cognoscere possumus, eoque nos obligavit, ut iis conformiter vivamus. Si educatio, conversationes & consuetudines instillant leges, cum rerum relationibus verè convenientes, formatur conscientia recta; si vero instillant leges à rerum relationibus veris discrepantes, acquiritur conscientia erronea.

XI.

Ad conscientiam spectat quoque iudicium de factis hominum. Facta hominum externa subjacent iudicium humanorum scrutinio & iudicio. Facta hominum tam externa, quam interna (cogitationes) subjacent scrutinio & iudicio mentis nostræ & Dei, qui corda scrutatur.

XII.

XII.

Mirabilis & uniformis est, quam contemplamur, hominum naturalis propensio ad judicandum de actionibus hominum. Homo, qui proprias actiones contemplatur, easque cum legibus convenientes cognoscit, sentit interiorum mentis approbationem & tranquillitatem. Alii homines, si easdem actiones cum legibus consentientes cognoscant, ex simili mentis approbatione eas laudant, autores honorant, & aliis imitandos commendant.

XIII.

Simili modo uniformem hominum propensionem reperimus, qua actiones a legibus discrepantes improbant & vituperant. Tam autores priorum scelerum, quam eorum conscii, siue sint contemporanei, siue posterius, omnes uno quasi ore scelera improbant, obstupescunt, autores vituperant, & detestantur. Autores inprimis conscientiae terrores sentire testatur Cain homicida dicens: *quicumque invenerit me, occidet me.* Gen. IV. 14. *Scelerum autores timent timore, ubi non est timor.* Ps. LIII. 6. i. e. timent vindictam divinam, licet humanam vindicem non habeant metuendum. Cum Belsazar manum in pariete scribentem videret, mutata est ejus facies, cogitationes eum conturbaverunt, interiora ejus tremuerunt, genua collisa sunt, Dan. V. 6. Quæ omnia ex metu Numinis facta sunt.

XIV.

Approbationem & improbationem factorum a gentilibus secundum naturæ leges institutam agnovit S. Paulus Rom. II. 15. *gentes, inquit, quæ legem (positivam divinam) non habent, ostendunt opus legis (officia legis) scriptum esse in cordibus suis* συμπαρρησίας αὐτῶν ἡς συνειδήσεως *testimonium reddente eorum conscientia; & cogitationibus*
(ratio)

(ratiocinationibus mentis) sese mutuo accusantibus aut etiam excusantibus. Ubi notamus 1) accusationem & excusationem fieri per collationem factorum cum legibus naturæ. 2) facta a legibus discrepantia accusare eos reos, & metum pœnæ incutere. 3) facta cum legibus convenientia quodammodo eosdem excusare & metum pœnæ divinæ imminuere. 4) officia legis ipsis esse inscripta i. e. non ab hominibus tradita, sed connata. Inscriptio enim a Spiritu S. omni humanitus acquisito constanter opponitur Jer. XVII. 1. XXXI. 33. Hulsem. Brev. cap. II. p. m. 85. 5) DEum hominem formasse, ut pronitate quadam leges agnoscat, facta sua cum iis componat, convenientiam & discrepantiam observet pœnam Numinis metuat. Verbo: ut rationes de actionibus suis Deo reddere possit.

XV.

Consentiunt gentiles, qui accusationes conscientiae in hominibus impiis observarunt. Cicero pro Roscio p. m. 33. *Sua quemque fraus & suus error maximè vexat, suum quemque scelus agitat, amentiaque afficit: sua male cogitationes, conscientiaeque animi terrent. Haec sunt impiis assidua, domesticaque furia: quae dies noctesque parentum pœnas a consceleratissimis filiis repetant.* Quæ Svetonius de Tiberio referat, cunctis sunt notiora. Scripsit Tiberius ad Senatum: *Dii me, Deaque pejus perdant, quam quotidie perire sentio.* Sveton. in Tiberio cap. LXVII. Nec deerant, qui commissa Tiberii scelera detestati sunt. *Urebant, inquit Svetonius, anxiam mentem varia undequae convicia, nullo non damnatorum omne probri genus coram vel per libellos in orchestra positos, ingerente.* Quo animo detestati sint Romani crudelitatem Tiberii, relaxatis per mortem ejus lingvarum frenis, audacter eloqvuntur, quorum verba
idem

idem Svetonius cap. 75. conservavit: *Morte ejus ita letatus est populus, ut ad primum nuntium discurrentes, pars Tiberium in Tiberim clamitarent: pars terram matrem, Deosque manes orarent, ne mortuo sedem ullam, nisi inter impios darent: alii unquam & Gemonias cadaveri minarentur, exacerbati super memoriam pristinae crudelitatis, etiam recenti atrocitate.* Caracallæ, qui fratrem interfecerat, terrores & somnia terribilia, notavit Tillemont. Tom. III. p. 188.

XVI.

B. Augustin. in Commentario in Ps. XLV. sapienter expendit conscientia pravæ terrores, nullosque majores cognovit animæ tribulationes, quam conscientiam delictorum. Audiamus eum: *inter omnes tribulationes humane animæ, inquit, nulla est major tribulatio, quam conscientia delictorum. Namque si ibi vulnus non sit, sanumque sit intus hominis, quod conscientia vocatur, ubicunque alibi passus fuerit tribulationes, illuc confugiet, & ibi inveniet Deum. Si autem ibi requies non est, propter abundantiam iniquitatis, quoniam & ibi Deus non est, quid facturum est homo? Fugiet ab agro ad civitatem, a publico ad domum, a domo in cubiculum & sequitur tribulatio. A cubiculo jam quo fugiat, non habet, nisi interius cubile suum. Porro, si ibi tumultus est, si fumus iniquitatis, si flamma sceleris, non illuc potest confugere. Pellitur enim inde, & cum inde pellitur, a seipso pellitur. Et ecce hostem suum invenit, quo confugerat, seipsum, quo fugiturus est? Quocunque fugerit se, talem trahit post se: & quocunque talem traxerit se, cruciat se. Sed a seipso sunt tribulationes, quæ inveniunt hominem nimis: acerbiores enim non sunt: tanto non sunt acerbiores, quanto non sunt interiores.* Vide Tom. VIII. p. 286.

E

XVII.

XVII.

Easdem conscientia turbas descripsit Chrysoſtomus Tom. I. hom. VIII. ad popul. Antioch. p. m. 102. *Audi igitur, inquit, quomodo peccatoris pavorem & juſti libertatem ſcriptura designavit: Fugit impius, perſequentem nemine, Proverb. XXV III. 1. inquit, quomodo perſequentem nemine fugit? intus habet agentem conscientia accusatorem, & hunc ubique circumfert: ipſam non poteſt fugere, ſic nec intrinſecus ipſum agitantem: ſed quocumque abeat, flagellatur & vulnus habet immedicabile. At non talis juſtus: ſed qualis audi: Juſtus tanquam leo, inquit, confidit. ibidem.*

XVIII.

Conſcientia quoque divinitatis teſtis eſt, quando peccatum prima vice hominem tentat. Nam conſcientia bene fundata opponit ſe peccati inſultibus, ſiſtit Deum mali vindicem, ſi malum committat, & boni renumeratorem, ſi in eo progrediatur. Audimus tunc conſcientia vocem ita loquentem: respice juſtum & ſeverum judicem, quem nec fallere, nec muneribus in partes trahere, nec effugere poteris. Perpende peccati foeditatem, qua te polluis, conſcientia vulnus, quod infligis, voluptatis brevitatem, quam appetis, ejuſque aculeum, quem diu ſenties. Si homo hanc vocem audiat, tentationi reſiſtat, Deumque timeat, vincet; ſi vero illam vocem reſpuat, peccati illecebras advertat, & conſentiat, mens mundanarum voluptatum tenebris obſcuratur & peccatum committitur.

XIX.

Magnum eſſe conſcientia robur, vel inde apparet, quod virtutem tot hoſtibus expoſitam conſervaverit, & per tot ſecula vitiorum impetum averterit. Bene dixit Vir eruditus in *Demonſtr. del' Existence de Dieu* n. 56. p. 192. *On*

ne

ne peut forcer, inquit, cette barriere éternelle de la verité & de la justice. Le maitre interieur, qu' on nomme raison, le reproche interieurement avec un empire absolu. Il ne souffre pas; & il sçai borner la folie la plus impudente des hommes. Après tant de siecles de regne effrené du vice, la vertu est encore nommée vertu; & ne peut être depossédée de son nom par ses ennemis les plus brutaux, & les plus téméraires.

XX.

Hic quæstio oritur, utrum conscientia erronea etiam sit Divinitatis testis? Ad hujus solutionem necessaria est conscientia erroneæ vera cognitio, quam breviter proponam. Deus hominibus dedit legem naturalem & revelatam, quæ est regula communis omnium actionum. Deus quoque hominem obligavit, ut eam communem regulam cognoscat suamque reddat, ut sit regula sua proxima & immediata, ad quam suas actiones instituat, hæc vocatur hominis conscientia.

XXI.

Experientia docet, homines in cognitione regulæ communis quandoque aberrare, quod fit, si homo debitam diligentiam in cognoscendo non adhibeat, inde est ignorantia vincibilis. Aberrat quoque homo, si regulam communem adspiciat suo lumine per carnalem affectum aliasque secretas cordis commotiones nubilo; inde nascitur conscientia erronea.

XXII.

Tanta est quorundam hominum corruptio, ut averfentur vel negligent veritatis cognitionem, & lubentius pravæ inclinationes sequantur. Hinc ignorantia abscondit peccata, consuetudo alit & pravus affectus justificat. Su-

E 2

perbia

perbia quoque, quæ alios consulere disuadet, utque nos ipsos consulamus & audiamus persuadet, efficit ut quam in aliis non ferimus indulgentiam, in nobis molliorem toleremus & justificemus. Crebra quoque conscientia erronea generis est, cum homines conscientiam suam non ad regulam divinam, sed ad desideria sua formant, juxta tritum: *quodcumque volumus bonum est.*

XXIII.

Erronea conscientia vulgari sensu accepta merito distinguitur in brutalem reminiscentiam & conscientiam erroneam strictè dictam. Brutalis reminiscentia a Becm. in Lin. Doctr. Mor. Cap. V. §. 6. vocatur, *cum homo ignorantia juris & vincibili, h. e. defectu cognitionis adesse debita sive in se, sive ex hypothese certi status laborat; non potest rebus à se male gestis bonam conscientiam pratexere, licet certissimum sit, eum aliter non scivisse, quam egerat & judicaverat. Conscientia enim presupponit scientiam, quæ si absit, non conscientia est, ne erronea quidem, tanto minus bona, sed sine connexionione rerum instituta brutalis reminiscentia.*

XXIV.

Conscientia erronea strictè dicta est, cum homo genuinam regulæ communis sensum non cognoscit, sed alium in ejus locum suscipit persuasus, erroneam opinionem, quam apprehendit, esse veram Dei voluntatem. Supponitur h. l. error, quem quis post adhibitam diligentiam non potuit cavere.

XXV.

Si perpendamus (1.) conscientiam nostram esse intimam actionum nostrarum regulam, quam sequi debemus, quam diu mens non melius est informata. (2.) Legem nos actu obligare, quatenus est intellecta & conscientia judicio

dicio

dicio probata. (3.) hominem pium vel impium judicari, quatenus actionem, quam divinitus præceptam agnovit, libenter suscipit vel averfatur. (4.) Reverentiam deberi omnibus legibus, quas mens pro divinis habet. (5.) Docentem: conscientiam erroneam non obligare, etiam docere, reverentiam legibus, quas pro divinis in conscientia habemus, debitam, posse quandoque seponi. Si hæc, inquam perpendamus, non video, qua ratione obligatio conscientiaæ erroneæ denegari possit.

XXVI.

Interim homo conscientia erronea laborans in misero est statu. Si agit juxta conscientiam erroneam & committit factum illicitum, peccat; committit enim actum legi divinæ contrarium. Si non agit juxta erroneam conscientiam & omittit actum, quem legi divinæ convenientem credit, etiam peccat; omittit enim, quod legi divinæ conforme putat. Si agit, malum agit; si non agit, malè agit. Cavendum ergò est, ne nostra culpa in errorem incidamus.

XXVII.

Si erronea conscientia versatur in re indifferenti, errans non peccat, si secundum eam agat; sed peccat, si non agat. Si agit, agit in re indifferenti & non prohibita; si non agit, vilipendit legem pro divina agnitam: Huc spectat Paulus Rom. XIV, 23. *ὁ διακρινόμενος*, qui distinguit (inter cibum licitum & illicitum, conf. Matth. XVI, 13. I. Cor. IV, 7. Cap. XI, 12.) *damnatus est si comedat* (contra conscientiam, quæ discrimen illud fecit) *quia non comedit ex fide* (i. e. ex ea persuasionem, quam de cibo illo habet) *quicquid enim non est ex fide, est peccatum.*

XXIIX,

XXIIX.

Quamvis vero conscientia erronea vere obliget, magnum tamen est discrimen inter obligationem conscientia erroneæ & rectæ, si respicias fundamenta, ex quibus oritur obligatio.

XXIX.

Obligatio conscientia rectæ oritur ex duplici fundamento 1) ex fundamento communis regulæ, quam Deus homini dedit, quæ est dictamen rationis rectæ & scriptura sacra. 2) Ex fundamento apprehensionis vel persuasionis nostræ, quæ legis a Deo datæ verum sensum cognovit & pro divino habet.

XXX.

Obligatio conscientia erroneæ oritur tantum ex fundamento persuasionis nostræ; ad id obligati sumus, quod mens nostra verum & divinitus præceptum agnovit. Id enim nos actu obligat, quod pro præcepto divino habemus. Nisi ad hoc obligati essemus, sequeretur, nos contra conscientiam, vel contra id, quod divinitus præceptum sincere cognovimus, posse agere, sic tollitur omnis obligatio divinis legibus debita.

XXXI:

Dicis: conscientia erronea est falsus legis interpret, quem sequi non debemus. Resp. errans nescit, suam conscientiam esse falsum interpretem, sed eam pro vero habet. Si dixeris; errantem non esse obligatum, idem est, ac si diceres, hominem non esse obligatum ad id, quod pro divinitus præcepto agnovit, conf. Thes. XXV. supra.

XXXII.

Si effectum conscientia erroneæ & rectæ consideres, cognosces inæqualem hujus & illius obligationem. Qui
secun-

secundum conscientiam rectam agit, producit opus voluntati Dei conforme, non solum bene, sed & bonum facit. Qui secundum conscientiam erroneam agit, facit quidem bene, sed in rebus illicitis committit peccatum. Peccat bona intentione, putat, se Deo servire. Porro, si superior subditis secundum conscientiam rectam quid præcipiat, obligati sunt subditi, ut obediant. Si vero superior ex conscientia erronea quid illiciti præcipiat, subditi obligati sunt Deo magis, quam homini obedire. Præcipit aliquid, quod subditus rectè sentiens voluntati divinæ contrarium cognoscit. Conscientia erronea obligat tantum errantem, non alios rectius sentientes.

XXXIII.

Ex hæcenus dictis prona sequela fuit, utramque conscientiam testari divinitatem. Qui secundum conscientiam rectam agit, tranquillitatem in mente sentiet, resultantem partim ex veritate divina, cujus magna est efficacia in mente humana, partim ex sinceritate mentis, quæ veram legem Dei cognovit & fecit. Qui secundum conscientiam erroneam egit, sentiet tranquillitatem mentis, ex eo provenientem, quod sincere fecit id, quod Dei voluntati conforme putavit. Non vero utriusque tranquillitatem æqualem esse, puto, quia erroneæ conscientiæ tranquillitas tantum uno obligationis fundamento nititur, nec est constans, sed toties turbatur, quoties mens melius informata errorem agnoscit. Tranquillitas vero orta ex actu secundum rectam conscientiam suscepto, habet duplex fundamentum tam regulæ divinitus præscriptæ, quam veræ persuasionis, voluntati divinæ conformis.

XXXIV.

Uti erronea conscientia parit tranquillitatem si secundum
dum

dum eam nos geramus, sic quoque eadem terrores gignit, si contra eam quid committamus. Memoria eorum, quæ contra legem, quam pro divina sincere agnovimus, acta sunt, excitat turbas mentis, ostendit vindicem, quem vilipendimus.

XXXV.

Sed maxima est errantis miseria, turbatur quoque mens, quæ secundum conscientiam erroneam egit. Cum enim errans errorem agnoscit & in memoriam revocat factum contra veram Dei legem, quam antea non cognovit, patratum, se peccasse Deumque irritasse sentit.

XXXVI.

Contra eam, quæ de conscientia divinitatis teste dicta sunt, objiciunt quidam: Non omnes homines conscientia terrores sentire, sed in sceleribus suis tranquille vivere; unde inferunt, conscientiam non semper esse divinitatis testem. Respondeo, me concedere quod conscientia non omni tempore mentem ad DEum revocet. Homines enim qui mentem mundanarum rerum tenebris obscurarunt, in iis secure ad tempus dormire solent. Tenebræ illæ efficiunt, ut neque mali vindicem, neque leges, neque facta sua considerent, sed fruantur delectatione carnali, molestâ, inconstanti, inquieta. DEus propter antecedentium peccatorum gravitatem, suam gratiam tandem subtrahit aut suspendit; homo vero spontaneo motu & Diaboli instinctu peccare pergit, & tandem induratur. Rom. I. 21. *Propterea, quod cum DEum cognoverint, tamen ut DEum, non glorificaverunt, neque gratias egerunt: sed vani facti sunt, in ratiocinationibus suis, & obtenebratum est desipiens cor eorum, v. 26, tradidit eos DEus fœdis affectibus. v. 28. tradidit eos DEus in mentem omnis judicii expertem.*

XXXVII,

XXXVII.

Homines vanis cupiditatibus innutriti, per tot peccata patrata, sibi habitum, & consuetudinem peccandi attrahunt, qua ad crebram eorundem peccatorum repetitionem inclinantur. Hæc inclinatio non solum impedit serias cogitationes, sed rejicit quoque externas admonitiones. Surdi hi sunt, uti gens, quæ locum illum accolit, ubi Nilus ex altissimis montibus præcipitat, audiendi sensu caret, Cic. Somn. Sc. cap. 5. Sonitus rerum mundanarum privat mentem usu reflectendi, ad Deum, ad ejus leges & peccatorum fœditatem.

XXXVIII.

Licet quidam Numinis contemptores aliquandiu quietam vitam transigant; quandoque tamen illorum conscientia, irruente vel levi calamitate, multum turbantur & excitantur. Sveton. de Calig. c. 51. narrat, *quod qui Deos tantopere contemneret ad minima tonitrua conriverit.* Ratio hæc subest, quod idea Dei speciosis objectionibus expulsa, in mentem redeat, quia naturalis.

XXXIX.

Homines mortis metu territos, & a mundanarum rerum usu retractos vehementes conscientia terrores sentire, tam Christiani quam gentiles confirmant. Cic. de Divinat. L. I. cap. 30. *Appropinquante morte, inquit, multo est divinior animus. Nam & id ipsum vident, qui sunt morbo gravi & mortifero affecti instare mortem. Itaque his recurrunt plerumque imagines mortalium: tuncque maxime laudi student: eosque qui secus quam deces vixerunt, peccatorum suorum quam maxime pœnitent.*

XL.

Tertullianus quoque conscientia excitationem in mori-

E

turi-

turientibus observatam his verbis descripsit: *Hinc denique evenit, inquit, saepe animum in ipso divortio potentius agitari, sollicitiore obtutu, extraordinaria loquacitate, dum ex majori suggestu, jam in libero constituta, per superfluum, quod adhuc cunctatur in corpore, enuntiat, quæ videt, quæ audit, quæ incipit nosse.* De Anima cap. LIII. conf. ejusd. *Libellum de anima testimonio.*

XLI.

Non dubito, securorum hominum mentes mundanis tenebris diu obscuratas, appropinquante morbo, qui mundanas delicias amaras reddit, in serena redire, pristinoque lumine collustrari, & cognoscere denuo, quæ antea non cognoverunt. Quæ diu siluit conscientia, tunc denuo loquitur & redarguit vitam impiam, provocat vindicem, pœnam promeritam prædicit. Hæc vox non est Diaboli, quia hominem ad pœnitentiam revocat; nec est nostra, nobis enim invitis loquitur; sed est vox conscientia divini eloquii interpretis.

XLII.

Agmen claudant Plutarchi verba Commentar. de his qui sero a Numine puniuntur, p. m. 554. *Quemadmodum malefici, cum ad supplicium educuntur, quisque suum effert crucem; sic vitiositas ad singula peccata ex sese fabricatur singula tormenta. Solertissima opifex vita miserabilis, & in qua præter turpitudinem terrores multi, animique motus graves, pœnitentia, tumultusque continentur insine.*

CAP.

CAP. IV.

De Consensu gentium

Deum confitentium.

I.

A Testimonio conscientiae ad gentium consensum progredior invenioque quaestionem difficilem, utrum ex consensu gentium Divini Numinis existentia probari possit? Video multos, qui negantium, sed plures, qui affirmantium partes sequuntur.

II.

Loquor de consensu gentium, qui eandem cum conscientiae testimonio habet originem, sed ab eo discrepat, quod hoc in interno conscientiae dictamine praecipue subsistat, ille vero etiam ore & factis Dei existentiam approbet.

III.

Non est mihi sermo de consensu gentium, qui ex externa & falsa institutione originem traxit, hic enim à doctore falsum cultum tradente ortus, necessario falsum continet, & infirmum, imo nullum Numinis existentis fundamentum est. Nec redarguo eruditos, qui ex hac ratione consensum gentium rejecerunt.

IV.

Nec respicio consensum gentium, quatenus internis visionibus vel externis apparitionibus nititur, quia utraque non omnibus hominibus obtingunt, multasque fraudes, fictiones & fabulas complectuntur. Licet enim Deus extraordinarie se quibusdam hominibus manifestaverit in visionibus & apparitionibus, hoc tamen non apud omnes gentes factum est, nec multum ponderis apud Atheos habet.

F 2

V. Nec

V.

Nec confundendus est consensus gentium cum instinctu naturali. Instinctus enim naturalis, qui in avaritiam, invidiam, superbiam, vindictam ruit, non perhibebit idoneum Dei existentis testimonium. Sed consensus gentium, qui naturalem agnitionem DEI supponit, illisque vitiis resistit, testis erit haud rejiciendus.

VI.

Sic neque gentes mihi ἀξιόπιστοι sunt, ut earum testimonio fides ubique sit habenda, gentes homines sunt, & errare & alios fallere possunt. Non vero omnem fidem gentibus auferendam esse existimo, in rebus, in quibus cum rectæ rationis dictamine consentiunt.

VII.

Denique consensus gentium non est effectus quorundam Philosophorum, qui eo fine convenerint, ut homines in consensum pertraherent; sed est effectus naturæ, quem Deus in creatione rerum intendit. Condidit Deus hominem cum potentia quadam prona, qua Deum intelligere potest, condidit quoque res in sensus incurrentes, & potentiam intelligendi excitantes. Positis his causis in actu, sequitur effectus.

VIII.

Consensus gentium est communis approbatio veritatis æternæ, Deum existere, quam sua intelligendi potentia rebus creatis excitata homines cognoscunt.

IX.

Hæc ergo gentium consensus supponit 1.) veritatem æternam, Deum existere, 2.) DEUM condidisse hominis mentem cum potentia prona Creatorem suum cognoscendi, 3.) DEUM condidisse res, quæ in sensus nostros incurrunt, eo fine, ut nostram mentem excitent ad creatoris agnitionem.

nem:

nem. 4.) mentem externe excitatam actu cognoscere æternam veritatem: Deum existere: 5. agnitam hanc veritatem in varias gentium actiones & sermones, quos scriptores retulerunt, influere.

X.

Colligenda essent omnium gentium effata, quæ DEUM ejusque cultum concernunt, examinandæque earum actiones, quas ex timore & amore DEI susceperunt. Discernenda essent, quæ naturalem Numinis notitiam respiciunt, ab iis, quæ ad falsas & aliunde acceptas sententias ceremoniasque pertinent. Fateor hæc esse opus magni laboris, sed non impossibile nec inutile, quia plerarumque gentium descriptiones prostant, & ignotarum consensus non sine ratione præsumitur, iisdem enim viribus naturalibus pollent. Videatur interea Apologet. pro genere humano Johannis Ludovici Fabricii.

XI.

Qui hac ratione testimonia gentium considerabit, observabit plerosque homines, mediante contemplatione rerum conditarum & providentiæ, ad Numinis notitiam pervenisse. Advertet, eosdem quo diutius contemplationibus illis insisterunt, eo firmiter Numinis agnitioni adhæsisse.

XII.

Id quoque animadvertendum est: consensum gentium non extendi ad omnes & singulos homines, cujus probatio esset difficilissima; sed eam veritatem consensu gentium probatam dici, quæ omni tempore majori gentium parti approbata est.

XIII.

Eundem consensum duplici modo concipiendum esse puto: uno, quod quidam homines revera persuasi sint de DEI existentia, eamque confessi sint; altero, quod alii qui-

dam illam veritatem actu non cognoverint, sed eandem quoque nunquam negaverint. Fieri enim potest, ut homini ante rationis usum de aliqua veritate non sit persuasum, de qua accedente rationis usu facile persuadetur. Illum consensum expressum, hunc tacitum appellamus.

XIV.

Illustrabo rem exemplo. Non omnis homo actu cognoscit parallelogrammum esse æquale rectangulo, quod eandem basin & altitudinem habet; Sed visa ejus demonstratione non amplius de eo dubitat. Sic posito quosdam homines actu non cognovisse DEI existentiam, vel animæ immortalitatem, vel futuram vitam; nihilominus cognitis terminis & perceptis rationibus omnes facile feruntur in earum veritatum confessionem.

XV.

Sed proniorem mentis inclinationem, qua homines ad Dei agnitionem ducuntur, reperimus. Paucissimi enim nostri parallelogrammi & rectanguli æqualitatem cognovisse, longe vero plures DEI existentiam confessos esse, manifestum est. Qui cana antiquitatis & nostræ ætatis monumenta revolvit, cognoscit, cum primo homine incepisse & per secula omnia ad nostra usque tempora perdurasse divinitatis confessionem, nec inventam esse rationem, quæ errorem tot gentium manifestasset.

XVI.

Si dixeris: antiquissimam esse de DEO traditionem, quam patres liberos suos docuerunt. Respondeo, non reperiri ullam sententiam, omnibus gentibus probatam, quæ omni naturæ fundamento destituta per tot secula ad posteros sit propagata.

XVII.

Si animam humanam cum anima brutorum componimus,

mus,

mus, illam cognitionis Dei capacem, hanc incapacem videmus. Ex quo manifestum est, Creatorem nostrum benignissimum animæ humanæ dedisse peculiarem facultatem, qua Deum agnoscere potest.

XVIII.

Si dixeris: Deitatis cognitionem ex informatione, inquisitione & experientia originem traxisse. Respondeo, informationem non potuisse hominibus divinitatis sensum inspirare, nisi mens à summe benedicto Creatore accepisset peculiarem potentiam, qua eum agnoscere & sentire posset. Supervacanea enim est omnis informatio apud bruta, quæ illa potentia carent. Informationem vero multum provehere naturalem Deitatis cognitionem sponte largior.

XIX.

Potentia mentis non efficit, sed tantum cognoscit veritates. Deum existere, veritas est æterna, si vel à mente humana non cognosceretur. Quod vero illa a mente cognoscatur, Optimi Conditoris est beneficium, qui dedit cognoscendi facultatem, qui quoque eam excitat per creaturas in sensus nostros incurrentes. Sic Sol lumen affundit creaturis, quod reflexum oculos nostros ferit, mentem in contemplationem trahit, & Conditorem super omnia laudandum illi exhibet.

XX.

Dices fuisse olim Philosophos & superesse hodie multos qui nullum Divinitatis sensum habent, qui ostendunt potentiam prædictam hominibus non esse naturalem, sensumque divinitatis non ex ipsa mente promanare, sed intrinsicè accedere per institutionem. Respondeo, (I) me facile concedere, multos esse homines, qui illam veritatem æternam, *Deum esse*, impugnarunt. Sed illa impugnatio, non procedit à principio intelligendi, qua Deum cognoscere possu-

possumus; sed à principio libere agendi, quod libertatem appellamus. Homo vi hujus libertatis potest intellectus oculos claudere, vel in alias res magis gratas convertere, & impedire quo minus illam veritatem cognoscat. Talis impugnatione abit deinde in habitum difficulter mobilem.

XXI.

Respondeo (2) Divinitatis hostes multis quidem artibus usos esse, ut suæ sententiæ aliquid roboris compararent; semper tamen prævaluisse contrariam sententiam. Ex quo patet, vires naturæ longe fortiores esse viribus calliditatis, longeque facilius homines ad divinitatis confessionem, quam ad ejusdem negationem pertrahi. Cognitio Dei simplicissima ratione procedit, negatio intricata & fucata.

XXII.

Respondeo (3) Ex paucis monstrorum hominum numero, qui sex digitos habuerunt, non inferri, homines natura nasci sex digitis instructos; Et ex exiguo Atheorum numero non colligi, homines naturâ Dei existentiam negare.

XXIII.

Viri, quorum res gestas posterius laudarunt, Deum coluerunt; & quorum scelera posterius detestati sunt, Deum negarunt. Si quæras, quinam naturæ ductui conformiter vixerint, non sceleratos, sed honestos respondebo. Honesti enim naturæ pulchritudinem referunt, scelerati, ejus deformitatem. Perfectioris naturæ exempla sunt Socrates & Platon; non Nerones, non Caligulæ, quos posterius naturæ monstra appellarunt. Vocem naturæ perfectioris, ex Platonibus; corruptioris, ex Neronebus audimus.

XXIV.

XXIV,

Objiciunt alii: temerarios esse, qui consensu gentium religionem naturalem confirmare laborant; quia nemo omnes gentes invisere, & cum iis conversari, quidque de Deitate sentiant, indagare potuit. Respond. (1.) quotquot gentes novimus, eas Deum colere cognovimus, quidni ex cognitarum gentium religione inferamus, incognitas quoque Deum agnoscere & venerari. Nostræ cognitæ aquæ sunt humidæ, cur quæso incognitas non æque humidas dicamus, quæ ejusdem naturæ sunt.

XXV.

Resp. (2.) Anglorum, Belgarum, Gallorum, Hispanorum aliorumque populorum navigationibus omnis orbis patet, suntque inter Europæos reliquosque populos commercia frequentissima, per quæ constat, gentes externas Deitatem agnoscere. Qui omnes relationes in dubium vult vocare, etiam eas, quæ cum naturali cognitione conveniunt; permittat etiam ut negemus, montes in Italia & China suas valles habere.

XXVI.

Baylius Atheorum numerum aucturus, eoque gentium consensum impugnaturus provocat ad antiquiores gentes Atheismi accusatas. Dum vero loca producit, nimiam prodit mentis inclinationem, qua fertur ad augendos Atheos. In Contin. des Pensees §. VI. p. 19. & §. XIII. p. 55. provocat ad Strabonis Libr. III. p. 113, qui barbaros Hispaniæ populos describens addit: *quosdam perhibere, Callaicis nihil de Diis sentire.* Baylius nimia inclinatione abreptus hoc probat testimonium, quod in aliis non probaret, & credit, quod *quidam perhibent*, cui alibi non persuadetur, quod *omnes perhibent.*

G

XXVII.

XXVII.

Idem Baylius l. c. p. 55. allegat Diodor. Sic. Libr. III. c. IX. quicum dixisset: *quosdam Æthiopas, Solem, Lunam; alios Isidem, Panam, Herculem, Jovem colere*, subjungit: *pauci Æthiopum nullos esse Deos statuunt, & hi solem orientem ut infensissimum hostem execrantes in loca palustria fugiunt.* Idolatræ, qui solem adorant, Æthiopas pro Atheis habent, quia orientem solem, qui eos urit, non adorant, eorumque judicio subscribit Baylius. Persuafus sum hoc testimonium nihil ponderis in animo Baylii habuisse, nisi nimio fervore Atheorum numerum augendi imbutus & concitatus fuisset.

XXVIII.

Idem Baylius l. c. p. 56 Phlegyæ incolas, quorum mentio fit in Homeri hymno in Apoll. v. 277. seq. Atheorum numero addere voluit, contra ipsius Homeri mentem. Audiamus eum:

*Hinc igitur ulterius progressus es, longe mittens Appollo,
Pervenisti ad Phlegyrum virorum urbem contumeliosorum
Qui Jovem non curantes super terram habitabant.*

Οἱ Διὸς ἄκ' ἀλέγοντες, qui Jovem non curantes, inquit Homerus, quæ verba nemo facile de Atheis, omnes de impiis intelligent, quos & Homerus intellexit Iliad. π v. 387.

*Qui vi in foro perversa edunt judicia
justitiamque expellunt, DEOS nihil verentes.*

Θεῶν ὄπι' ἄκ' ἀλέγοντες. i. e. impii, DEUM non timentes. Mittam reliquas gentes, quas ipse Baylius in Atheorum numerum referre non audet, quia nescit, qua ratione in Deos impiæ fuerint.

XXIX.

Antiquiores gentes ab aliis Atheismi accusatas defendit

Joh.

Joh. Lud. Fabric. in Apologetico generis humani Part. II. p. m. 124. Leges ibi Germanos, Italos &c. fufe excufatos & ab Atheismi columna liberatos, quæ legiffe non poenitebit.

XXX.

Clariff. Baylius perſuaſus eſt, majus robur ſuæ ſententiæ ex recentiorum itinerariorum relationibus accedere, quapropter ex iis undique conquiſivit, quæ in hodiernas gentes Atheismi ſuſpicionem transferre poſſunt. Conf. Contin. des Penſées diverſes T. I. § XVI & Reponſe Tom. IV. ch. XII. ſed etiam hac in parte judicat animo ad augendos Atheos proniſſimo.

XXXI.

Sunt quidam eruditi, qui ejuſmodi itineraria non majoris pretii faciunt, quam Romanenſes ſabulas a viris honeſtis ſcriptas. Si unam alteramque veritatem in iis legeris, plures reperiſſes admixtas falſas narrationes. Affirmat Cl. Bernardus ſe locutum eſſe cum quibuſdam viatoribus, qui quindecim & plures annos inter Hottentotos commorati ſunt, confeſſis, omnia fere, quæ Abbas de Choiſi, Pater Tachard aliique de illis prodiderunt, eſſe falſa. Addit Clar. Vir, eoſdem viatores ſibi affirmariſſe ne ea quidem vera eſſe, quæ de Capite bonæ ſpei, ubi illi autores commorati ſunt, retulerunt. *Nouvelles de la Republ. des Lettres* Febr. 1705. p. 134. Si vero prudentes & honeſti ſcriptores tot errores commiſerunt, quantum fidei habendum erit alijs ſimplicioribus nulliusque nominis hominibus.

XXXII.

Viatores barbararum lingvarum ignari nec peritis interpretibus inſtructi facile referent, quæ vel ab alijs relata audiverunt, vel minus recte perceperunt, vel ad ſententi-

am antea haustam accomodarunt. Atheismi accusatio est res maximi momenti, quæ accuratum plurium circumstantiarum examen requirit, quod si instituat, non dubito gentes quoque Atheismi suspectas DEitatem esse confesuras.

XXXIII.

Thomas Herbertus in suis peregrinationibus de Souldaniæ incolis retulit, se nullo signo aut percontandi ratione, quicquam invenire potuisse, Souldanos vel unam religionis fovisse scintillulam. Sed bene respondit Robert. Scharrockius fas esse, ut interrogetur generosus Herbertus, quo bono illud obvenerit genio, quod is, qui neque per se, neque per interpretes barbarorum lingvas calluit, potuerit expedire res ad vitæ usum spectantes, & interea sermonis & colloquii faciendi inops, de tot & tantis rerum circumstantiis certior factus sit, qui non ultra novendecim dierum spatium, quo navis, teste ejusdem itinerario, apud Souldanos substitit, commoratus est. Conf. Robert. Schorrock. de officiis secundum jus Naturæ cap. XVI. de Num. Placat. p. edit. Reyher. 671.

XXXIV.

Quis firmiter asseverare audeat, gentes has vel illas esse atheas, quia apud eas neque sacrificium, neque altaria videntur. Hæc non sufficere quiuis intelligit; sed necesse est, ut confirmetur, homines illos usu rationis præditos, nunquam cogitasse aliquod ens, quod homines, animalia, plantas, solem stellasque produxerit & conservaverit; necesse est, ut probetur eosdem nunquam tam curiosos fuisse, ut inquisiverint in rerum creatarum Conditorum.

XXXV.

Producit Baylius LXXXVII. insulas inter Moluccas, Philipp-

lippi-

lippinas & Marianas fitas, quas ab atheis gentibus in habitatas esse putat. Rep. Tom. IV. ch. XII. Earum Atheismum probat testimonio P. Gobien, qui vero eas nullibi Atheismi accusavit, quod ipse Baylius confessus est l. c. p. 159. Suspiciatur, id non sine mysterio factum esse, sed ejusmodi suspiciones non sunt probationes. Sic quoque sine ulla veritatis specie Baylius argumentatur: quia gentes illæ pacis & æquitatis amantes, superstitionis ethnicæ præjudicium non persenserunt, verisimile est, eas in Atheismo theoretico a tempore immemoriali vixisse, conf. p. 161.

XXXVI.

Submitto aliorum judiciis, annon longe firmitus inferatur: Quæ gentes pacis & æquitatis sunt amantes, ethnicæque superstitionis nullum unquam præjudicium persenserunt, eoque magis ad Christi fidem suscipiendam sunt idoneæ, illae naturali ductu Deitatem agnoverunt, & alienae sunt ab Atheismo speculativo. Hæc illatio contraria, ex testimoniis a Baylio collectis facta, mihi longe firmior videtur.

XXXVII.

Plures sunt gentes, quas priores peregrinantes Atheismi accusarunt, sed posteriores excusarunt. Retulit F. Hennepin, apud boreales Americanos neque Deitatis cultum, neque sensum apparere; Sed alii, qui postea ad eosdem accesserunt, inque numinis cultum inquisiverunt, cognoverunt, esse aliquam Numinis notitiam apud eos, quosdam solem adorare, alios spiritum quendam in aere dominantem vereri, alios cælum tanquam Deum suspicere Conf. Contin. Novæ detect. cap. XIII. p. 57. Alibi narrarunt: *has gentes credere Dominum vitæ cap. 29. p. 112. Et genium aliquem, quem Micaboche appellant, qui terram totam aqua operit;*

ut & spiritus futura prædicentes morbosque curantes cap.
39. p. 144.

XXXVIII.

Entretiens sur divers sujets d'histoire, qui Anno 1711. prodierunt, documentis haud contemnendis docent, populos a pluribus scriptoribus Atheismi accusatos successu temporis ab aliis ea suspicione fuisse liberatos. Feros Canadae, Antillarum & Brasiliae incolas, ut & Hottentatos Caput bonæ spei accolentes nullum Numinis cultum, nullumque sensum habere, multi confirmarunt itinerariorum scriptores clarissimi; harum vero relationum falsitatem agnoverunt recentiores viatores, qui familiarius cum illis conversati in eorum religionem inquisiverunt accuratius. Hi confirmarunt, etiam simplicissimos eorum conservasse aliquam religionis speciem.

XXXIX.

Provocat Cl. Autor prædictorum colloquiorum ad Baronem de Hontan, cum quo de Huronibus aliisque Canadae incolis feris collocutus est, quem asseruisse refert, illos populos fundere preces, offerreque sacrificia alicui, quem *magnum Spiritum* appellant. Plura generosus Hontan suis Relationibus inseruit.

XL.

Hottentotos decantissimos Atheos clarissimus medicus Ten Rhyne adiit, & instituto accurato examine cognovit, eos adorare solem & lunam, & agnoscere DEum, quem *magnum Capitaneum* appellant. Vid. Schediasma de promontorio bonæ spei Wilhelmi, Ten Rhyne cap. XIX & XX. conf. citatos Entretiens. Caffros quoque agnoscere Numen quod *Humma* uel *Summa* appellant, & pro autore pluviarum, ventorum, caloris & frigoris habent, testis

testis est Dapperus in Africae discript. von Nieder Etio-
pien p. 626. seq.

XLI.

Caraibæ Antillarum incolæ agnoscunt quoque DEum,
quod quidam in dubium vocarunt. Testes sunt, Roche.
fort Histoire Morale des Isles Antilles chap. XIII. & XIV
Du Tertre Hist Natur. des Antilles Tom. II. p. 365. Sieur
de Borde, Relation des Caraibes ch. II & III. Gentes hæc
agnoscunt DEum principium boni, sed illi nullum cul-
tum exhibent; adorant vero *Maboya* quem pro principio
mali habent. Conf. allegatos Entretiens p. 255.

XLII.

Religionem Tapujarum Brasiliæ incolarum descripsit
Baro de Roulox, qui eorum sacrificiis adstitit, videatur ejus
Relation, ubi de sacerdotibus, sacrificiis cultuque eorum
differit. Conf. Georg. Margrave de Brasiliæ regione & in-
digenis cap. XII. De Tapujis ἀνθρωποφάγοις in-
ter Siaram & Marathon habitantibus Chrittoph. Arcislew-
ski genere apud Polonos nobili, sed nobilior rebus iis,
quas pro fœderatorum Belgarum terris in Brasilia fortiter
& feliciter gessit, plura retulit Gerardo Johanni Vossio,
quæ omnem Atheismi suspensionem diluunt. Conf. Adden-
da Vossii ad Libr. I. de Idololatria p. m. 3.

XLIII.

Vindicato gentium consensu relationibus recentiorum
viatorum accuratioribus, superest, ut removeamus aliam
rationem, qua Baylius Contin. des Pensées div. T. I. §. XXV.
p. 109 nostrum gentium consensum diluere & infirmare
laboravit. Ex eò, quod pleræque gentes polytheismum
professæ sunt, infert, non DEitatis naturalem notitiam,
quin potius polytheismum consensu gentium probari.

XLIV.

XLIV.

Sed respondemus : gentes Polytheismo addictas (1.) agnoscere has veritates: *existere aliquam DEitatem eamque esse colendam*; (2.) easdem admittere aliorum traditiones: *hæc vel ista nomina, Jovem, Mercurium &c. significare Deos.* Agnitio illarum veritatum plana via ex rerum naturalium contemplatione procedit. Admissio traditionum orta est ex falsa aliorum persuasione. Si ergo a polytheismi professione removeamus, quod ex falsa aliorum persuasione, & retineamus, quod ex naturali cognitione natum est, cognoscemus, polytheismi confessores esse DEitatis assertores.

XLV.

Excipit Baylius Tom. II. Rep. ch. 107. has propositiones; *il n'ya pas plus d'un Dieu : & , il y a plus d'un Dieu ; i. e. unus tantum est DEus, & plures uno sunt Dii,* involvere contradictionem, nec priorem ex posteriori sequi. Respondeo, qui ex polytheismi professione Deitatis assertionem inferunt, eo modo, quo Baylius putat, non argumentantur; sed ita inferunt: Quæcunque gentes plures DEos colunt, illæ supponunt existentiam DEitatis. Uti recte quoque colligimus: Quicumque dicit, in Gallia esse octo Mareschallos, ille supponit, in Gallia esse Mareschalli dignitatem.

XLVI.

Manifestum est, non omnes gentes polytheismo fuisse addictas; gens enim Israelitica unum semper DEum professæ est, pluresque ex gentibus fuerunt, qui unum summum DEum agnoverunt, testimonia id probantia collegit Tob. Pfannerus Syst. Theol. gentil. cap. II. §. 9. seq. Alii metu vulgi irritandi perterriti non ausi sunt unum DEum profiteri, *ibid.*

XLVII.

XLVII.

Excipit Baylius Rep. Tom. II. ch. CVIII. exiguum Atheorum numerum non attendi in colligendo consensu gentium DEitatem profitentium; ergo nec parvum Judaeorum quorundamq; Philosophorum numerum, qui unum DEum confessi sunt, in censum esse deferendum, cum unitas divinitatis confirmanda est. Respondeo in colligendo gentium consensu suffragia non tantum numeranda sed & ponderanda esse, longe enim majoris valoris sunt, quae unitatem DEI confirmant, quia nituntur naturalibus & firmis rationibus; nullius vero ponderis sunt, quae ad negandam DEitatem ab Atheis petuntur, quia firma ratione destituuntur. Nec tanta est gentium DEum negantium multitudo, quantam sibi somniavit Baylius, quod ex supra dictis constat.

XLVIII.

Confessores unius DEI cum mundi exordio inceperunt, & per cuncta secula ad nostra usq; tempora testimonia sua continuarunt; Sed ante turris babelicae exstructionem nullos commemorari polytheismi confessores historiarum monumenta ostendunt. Quae Judaei de idololatria posterorum Sethi referunt, superstructa sunt falsa Gen. IV. 26. explicatione Vid. Max. Rever. Buddei Hist. Eccl. T. I. Sect. I. §. 38. & Jurieu Hist. Crit. P. III. ch. II.

XLIX.

Sed postulat Baylius cautionem de futuro & quod in posterum homines DEum unum confessuri sint, Rep. T. II. p. 404. Respondeo talem cautionem esse facilem; quia omnes homines naturali potentia praediti sunt, quae unum DEum cognoscit, facile inferatur, fore homines, qui
H usq;

usque ad finem seculorum unum DEum sint confessuri, uti a mundi principio unum professi sunt. Argumenta enim, quae hominibus unum DEum persuaserunt, eundem quoque in posterum persuadere possunt. Opinionum commenta delet quidem dies, sed naturae iudicia confirmat, Cic. de Nat. DEor. L. II, cap. I.

L.

Qui unum DEum professi sunt consenserunt omnes, firmumque consensus rationem reddiderunt. Qui vero plures DEos coluerunt, in numero non consenserunt, sed alii plures, alii pauciores admiserunt, nulla diversitatis ratione reddita. Nec ulla reddi potest, quia DEorum pluralitas ab hominum arbitrio, non a naturali ratione dependet.

LI.

Populi qui plures DEos coluerunt, plerumq; unum supremum, reliquos inferiores professi sunt. Uti Christiani praeter unum & supremum DEum admittunt angelos & sanctos demortuos, sic gentiles agnoverunt quosdam inferiores DEos, qui proprie dicti Dii non sunt. Non existimo ullam gentem tres aut quatuor DEos aequales unquam credidisse, persuasus quoque sum multos DEos apud gentes suis adoratoribus juniores fuisse. Ex his apparere existimo polytheismum DEI unitatem non destruere.

CAP. V.

De Stellis gloriam DEI
praedicantibus.

I.

Divinus Psalter coeli & stellarum contemplatione occupatus agnovit, coelum esse communem doctorem, qui

qui terræ incolas per varias lingvas, regiones & secula divisos docuit publice, DEum potentem, sapientem & bonum condidisse mundum. *Coeli, inquit, enarrant gloriam DEI, & opus manuum ejus annuntiat firmamentum. Dies diei eloquitur sermonem & nox nocti indicat scientiam. Ps: XIX. 1. 2.* Stellae sunt cani & oculati creationis testes, qui a die, quo in coelo sunt collocati leges sibi praescriptas servarunt, eoque ipso sine cessatione gloriam Creatoris annuntiarunt.

II.

Gentiles quoque cognoverunt, coelum stellis ornatum Summi Numinis gloriam hominibus manifestasse. Euripid, apud Plutarch. de Placitis Philosoph. cap. VI. p. m. 879. canit:

*Coeli renidens pulebris sideribus jubar
varium sapientis opus artificis.*

Cui succinit ipse Plutarchus, homines, inquit, ceperunt DEum cognoscere, cum viderent stellas tantam harmoniam efficere, ac dies noctesq; aestate & hyeme suos servare statos ortus atq; obitus: indeq; terram animantia & fructus proferre. Gentiles ergo non fictas & a patribus traditas opiniones sunt secuti, sed suam Numinis notitiam solidis naturae fundamentis superstruxerunt.

III.

Primum quod in coelo intuemur corpus magnum est sol, fons lucis & mare igneum admirandum, cujus magnitudo nostram terram longe superat. Puerilis est eorum error, qui solem terra minorem aestimarunt; ex umbra enim conica vel pyramidali in eclipsibus lunaribus observata constat contrarium. Nolo Astronomorum calculos addere, qui magna probabilitate demonstrarunt, solem

100, 000 terra esse majorem. Vid. Nieuwentyt Rel. Philos. Vol. III. p. m. 748. seqq. Qui dixerit, corpus tam prodigiosæ magnitudinis fortuito casu effectum & tot secula conservatum esse, rem loquitur menti humanae absconam, cur enim igneum illud mare consumpto pabulo non decrescit & aliam faciem naturamq; induit? Cur elementum furiosissimum & imperii impatientissimum tot seculorum series solum calefecit, non vero consumpsit terræ incolas? cur radii ejus aequali semper mensura emituntur in terram? Nisi benignissimi moderatoris imperio maris ignei furorem subjectum esse sciremus, in perpetuo perditionis metu versaremur.

IV.

Hic globus igneus profundit in terram nostram vivificos caloris radios, quibus remotis omnia viventia exspirarent, totaq; terrae superficies glacie obduceretur. Experientia docuit, solis radios omni igne culinari esse fortiores, tot enim radii, quod speculum urens aliquot pedum capit, efficiunt calorem, qui ligna comburit, lapidisque & metalla liquefacit. Nos ex iis calorem percipimus nostræ vitæ salutarem & jucundum. Hujus beneficii memores agnoscamus Summi Conditoris bonitatem, & confiteamur, Eum condidisse solem, ut hominibus omnibusque rebus creatis inserviat. Sine sole nec vivere nec crescere possunt creaturae.

V.

Considerantes distantiam solis & terrae cognoscunt eam sapienti consilio & potenti brachio esse factam. Si terra soli esset propior combureretur, maria & flumina in vapores converterentur, cessaret generatio, perirent omnes res creatae. Si terra remotior esset a sole, calor quoque
minor

minor arboribus, plantis & animalibus esset exitiosus, certissime iis, quae in polaribus sunt partibus. Sed praevitavit damna sapientissimum Numen & omnibus benignissime prospexit.

VI.

Advertamus porro quae beneficia benignissimus Creator temperato solis calore terrae incolis dispensat. Ejus vi ascendunt nebulae, quae in nubes compressæ sylvas, campos, vineas, hortos, agros, prata humectant, ut fructus ad conservationem viventium ferant uberrimos. Condidit DEUS lumen, quod sol terrae incolis profundit, condidit quoque oculos miro artificio compositos, qui luminis beneficio elegantiam & pulchritudinem rerum progerminantium & genitarum intuentur, condidit quoque mentis facultates, quibus illam rerum omnium pulchritudinem magna cum hilaritate intelligimus, admiramur, & sapientiam, potentiam & bonitatem Conditoris apprehendimus, laudamus, aliisque explicamus.

VII.

Luna est alterum, quod in coelo prae reliquis magnum apparet corpus, licet non solum sole sed etiam terra longe minus sit. Ex eclipsibus enim constat terræ diametrum longe majorem esse diametro Lunae, quia haec, cum terrae umbra obscuratur, quandoque diu in ea procurrit, antequam solis radios recipiat. Haec radios a sole acceptos reflectit in terram, noctesque quodammodo illuminat, fortasse quoque efficit, aut ordinat fluxum & refluxum maris, ne aquae ejus inferiores putrescant. Prætermitto influxum in vegetabilia & animalia, quia hic mihi non satis est perspicuus. Certior est eclipsium lunarium usus, quem Astronomis, Chronologis & Geographis præstat

stat eximium. Beneficio illorum cognovimus solem terra, & hanc luna esse majorem. Ope illarum seculorum series melius cognoscuntur, eclipsibus tanquam characteribus notatae. Haec aliaque nobis non satis nota Lunae beneficia dispensat benignissimus Creator terrae incolis, ut ea grato animo agnoscamus laudesque debitas illi referamus.

VIII.

A luna ad terram me convertito, quae a sole lumen & calorem, & a luna aliquod lumen recipit. Observatur in ea figura rotunda, uti in aliis corporibus coelestibus, quod ex eclipsibus, uti dictum, constat. Eadem figura in mari cognoscitur, quia navem, quam in propinquo conspeximus, longius recedentem e conspectu amittimus, ex quo colligitur gibbum maris intercedere & navem antea visam occultare, si enim in malum gibbo altiore ascendas, navem antea occultatam respicies. Rotunditatem terrae experiuntur quoque qui ex partibus borealibus ad australes proficiscuntur, in his enim alias stellas vident, quae in illis nunquam visae sunt. Rotunditas vero terrae non solum firmitati ejus inservit, quia omnes partes aequaliter a centro distant; sed etiam incolarum habitationi, & commerciis mutuis, nec non fructuum copiae pluribusque aliis utilitatibus accommodata est. Angularis terrae figura esset fragilis, nimium montosa, lacubus repleta, non tam frugifera nec ad incolarum commercia apta. Haec terrae consideratio reflectere jubet ad supremum creatorem sapientem, benignum, potentem, qui eam sapienti consilio condidit.

IX.

Vidimus lunam & terram, cognovimusque utrumque corpus fore tenebris involutum, nisi solis radiis collustraretur.

retur. Vicissitudines diei & noctis perpetuo in terra observamus, sensusq; nobis persuadent, solem gyros agere circa terram, quod sine DEi sapienti consilio & directione fieri non potuisset. Cum DEus decrevisset incolas terrae felices reddere, & partem temporis laboribus, partemque quieti destinare, fecit solem qui terrae rotundae faciem tam superiorem quam inferiorem per vices collustraret & obumbraret. Si sol substitisset in uno loco & unam tantum terrae partem sine vicissitudine collustrasset, haec nimium esset torrida, altera nimium frigida & perpetuis tenebris involuta, exclusisset incolas; sed diurnus & nocturnus solis motus utramque faciem reddit habitabilem frugiferam & jucundam.

X.

Non satis erat utramque terrae faciem per vices illuminari, necesse quoque fuit, ut omnes ejus partes redderentur habitabiles & frugiferae, quod sapientia Creatoris & Directoris motu solis annuo, quo modo ad boreales, modo ad australes partes declinat, effecit. Si sol semper in aequatore versaretur, mediae terrae partes nimio calore exsiccarentur, partes vero polares utraeque, in quas oblique tantum radii solares incidunt, propter nimium frigus essent infrugiferae. Sed quia sapiens creator voluit, ut omnes partes terrae essent fertiles, sapienter ordinavit, ut sol ab aequatore recederet, & dimidii anni cursu ad partes boreales, & alterius dimidii anni cursu ad australes diverteret. Huic solis motui debemus vicissitudines veris, aestatis, autumnii & hiemis, has summi Creatoris opus esse Scriptura S. testatur Gen. VIII. 22. *Ab hinc omnibus diebus terrae sementis, & messis, & frigus & aestus, & aestas & hiems diesq; & nox non cessabunt.*

XI. Sic

XI.

Sic motu solis annuo nimius calor in quibusdam terrarum partibus, nimiumque frigus in aliis temperatur, ut fructus ferant incolis salutare. Et licet quaedam terrae partes proprios quosdam fructus proferant, beneficio tamen navigationis & commerciorum in alias transferuntur. Si mentis oculo in charta geographica totam terram contempler, hortum amoenum magnoque artificio adornatum me videre cogito. Quas in hortis videmus casas vitreas pro conservandis arbusculis, quae in calidioribus terrae partibus crescunt, exstructas, eas a summo Conditore in terra & coelo creatas videmus, si oculos in climata torrida convertamus. Varios flores, fructus, plantas quovis anni tempore arte & studio hortulani procrecentes, in nostro jucundissimo mundi horto longe pulchriores DEi benignitate productos omnibus anni temporibus in diversis locis videmus. Varii generis aves, & animantia terrestria ex variis regionibus allata inque vivariis custodita, ex amplissimo Summi Regis horto sunt educta, eumque in finem donata, ut opera Conditoris admiremur, ejusque magnificentiam laudemus. Stultus in corde suo dicit non esse DEum, & excæcatus nostrum mundi hortum fortuiti casus opus appellat. Adeste terrae incolae & spectate quam benignus sit Dominus, adorete eum & laudate ejus sapientiam & bonitatem, *gustate & videte quam bonus sit Dominus, beatus qui confidit in eo.* Ps. XXXIV, 9. *Terra est plena misericordiae Domini* Ps. XXXIII, 5. Lege lector benevole sancti Davidis meditationes, quas conscripsit, cum in charta Geographica mente concepta terram contempleretur tanquam hortum amoenissimum, in Psalm. CIV. v. 5—53.

XII.

XII.

Præter Solem, Terram & Lunam plura sunt in systemate planetario corpora splendida, quæ nudis oculis videntur & Astronomorum telescopiis accuratius observantur. Videmus Mercurium, Venerem, Martem, Jovem & Saturnum, quorum magnitudines, ordines, distantia, motus &c. sapientem, omnipotentem & benignum Creatorem & Conservatorem indicant.

XIII.

Quem in finem summum Numen tot tantaque corpora condiderit, non nisi conjectura assequimur. Terram, quam incolimus, innumerabiles continere creaturas, homines, bruta, arbores, virgulta, gramina, pisces &c. omnibus notum est; utrum vero idem dicendum sit de Luna, Venere, Mercurio, Marte, Jove, Saturno, perspicuum non est.

XIV.

Sine divina revelatione nemo dixerit, quales creaturae sint in planetis; instrumenta enim hucusque adhibita id non docuerunt. Nostris temporibus, quibus plures observationes sunt institutæ, plerique Astronomorum sagaciorum eo inclinant, ut omnes planetas (excepto Sole) pro terreis aut terraqueis globis habeant. *Vid. Sturmius Phys. Elect. Tom. II. p. m. 544.*

XV.

Eo tandem inter Astronomos celeberrimus Christianus Hugenius processit, ut cœlestium terrarum ornatum, quo usque eum conjecturis suis assequi potuit, fusius describeret in Cosmoth. suo. Ostendit ibi multas terras nostræ similes, similiterque incolis suis frequentes. Admiratur DEUM tantarum rerum Effectorem, cujus providentia & sapientia mirabilis asserta, destruit falsas eorum opiniones, qui ex
I for-

fortuito corpusculorum concursu ortum terræ deducunt. Hunc sequitur *W. Derham* in *Astro-Theology Preliminary Discourse*, p. **XLIX.** &c. aliique plures.

XVI.

Has verò, quæ meris conjecturis nituntur, jucundas meditationes, iis relinquimus, qui cœlos armatis oculis intuentur. Hoc tantum addimus, non consentire ubique eruditorum conjecturas, quas enim alii in Luna marium, fluviorum, nubium similitudines vidisse tradunt, eas negat *Hugenius* in *Cosmotheo* suo *Libr. II. p. m. 114.*

XVII.

Mittamus incertas conjecturas, & progrediamur ad spatium, in quo Planetæ moventur conspicui: Spatium mundi, in quo planetæ circa centrum volvuntur, vocatur systema planetarium, circa quod tota fere versatur ars Astronomica. Reliqua corpora, quæ fixæ stellæ appellantur, nimium à nobis distant, nec à terricolis tam accuratè observari possunt.

XVIII.

Qui systema planetarium, quod stellæ fixæ ambiunt, contemplantur, pulcherrimum & splendidum sapientiæ, potentia & bonitatis divinæ theatrum intuentur, nescii, quo primum oculos convertant, tot enim lucentia corpora modo huc, modo istuc oculos attrahunt, terricolasque ad admirationem laudemque Numinis excitant.

XIX.

In rotundo Planetarum systemate alii Solem, alii terram in centro ponunt, sed neutri certo demonstrant, quod supposuerunt. Ratio in promptu est, nam motus corporum cœlestium tantum observantur à terricolis, quibus cœlestia phænomena eodem modo apparent, sive ipsa corpora cœlestia transferantur, sive terricolæ observatores moventur;

hinc

hinc immediatis observationibus non constat, utrum motus ad terram, an verò ad corpora cœlestia sit referendus. Agnovit hoc Clarissimus Gravesande in Elem. Phys. Mathem. Tom II. Libr. IV. Cap. II. p. 117. ubi id perspicuè docuit. V. g. si per tellurem & planetam lineam concipias, ultra planetam ad spheram fixarum continuatam, habebis punctum in sphaera illa, ad quod planeta refertur, quodque est locus planetæ apparens. Sed sive planeta, sive terra, aut ambo moveantur, agitatur linea per terram & planetam ducta, ejusque extremitas lineam inter stellas fixas describit, locumque planetæ apparentem designat.

XX.

Inde est, quod Astronomi magni nominis, Tycho de Brahe & Copernici in ponendo systematis planetarii centro dissentiant, aliique Mathematici phænomena cœlestia tam ex Copernicano, quam ex Tychonico systemate deducant. Vid. Greg. Astron. Libr. I. Part. XI.

XXI.

Optimum fundamentum, quo quæstio hæc determinari posset, esset mutatio intervalli duarum fixarum, diverso anni tempore spectatarum, quæ necessario fieri deberet, propter diversas visûs nostri positiones, per annui orbis ambitum; sed præstantissimi Astronomi nullam ejusmodi intervalli mutationem hucusque observarunt. Vid. Hugonii Cosmotheor. Libr. II. p. m. 125. Et licet Clarissimus Hooke, Regiæ Societatis apud Londinenses Socius, parallaxin orbis telluris sensibilem ad stellam fixam in capite Draconis observasse contendat (Sturmius Phys. Elect. Tom. II. p. 585.) postea tamen Clar. Newton Princ. Phil. Nat. Libr. III. Prop. XIV. p. 476. fatetur, nullam esse stellarum fixarum parallaxin sensibilem

ex terra motu annuo oriundam. Hactenus itaque motus terræ annuus rationibus mathematicis non est certo demonstratus.

XXII.

Qui Scripturam S. consulunt, plura inveniunt oracula, quæ Soli ortum & occasum, terræ verò quietem adscribunt, unde & Theologi plerique Tychonis sententiam sequuntur, quæ terram in centro systematis collocat. Terræ immobilitas adstruitur Ps. CIV. v. 5. *fundavit terram super bases suas, ne dimoveatur in seculum & in seculum.* I. Chron. XVI. v. 30. *Contremiscat coram DEO omnis terra; etiam stabilietur terra, nec commovebitur.* Cohel. I. 4. *terra stat in aeternum,* ibid. v. seq. 5. *& oritur Sol, & occidit, & ad locum suum regreditur, ubi oritur.* Talia leguntur plura à B. Calov. Syst. Tom. III. p. 1038. collecta & explicata. Conf. Ricciol. Almag. N. P. II. T. I. Libr. IX. Sect. IV. Cap. XXXVI. p. 479. ubi pleraque loca, Patrum consensu contra Copernicanos illustrantur.

XXIII.

Copernicani, ut hæc Scripturæ S. testimonia effugiant, regerunt, adducta loca non secundum rei veritatem, sed secundum hominum rudiorum erroneam opinionem loqui. At verò perpendant, rogo, quid dicant: Spiritum S. qui omnes errores averfatur, loqui secundum rudiorum erroneam opinionem. Si Scriptura S. uteretur phrasibus, quibus rudiores errores suos exprimunt, sequeretur, Spiritum S. rudiorum errores approbare, & veritatibus divinis labem adspargere. Scriptura Sacra est divinitus inspirata II. Tim. III. 16 *est verbum veritatis,* Coh. XII. 10. *purus DEI sermo,* Ps. XII. 7. *in ea nihil falsum aut perversum,* Prov. VIII. 8. *nec fieri potest, ut DEUS mentiatur,* Hebr. VI. 18. vid. Calov. Syst. Tom. I. p. 607.

XXIV.

XXIV.

Quamvis verò evidentia Scripturæ oracula plures & Astronomos & Theologos commoverunt, ut Copernicano præferrent Tychonicum systema, nihilominus nostra ætate plerique, si non omnes, Astronomi, rejecto Tychonico adoptarunt Copernicanum, ex quo omnia cœlestia phænomena, publicè ore & scriptis convenienter explicant. Propterea Theologi non sine ratione verentur, ex adoptata Copernicana hypothese, oriturum Scripturæ S. vilipendium.

XXV.

Verum enim verò, cœlestia corpora secundum Copernici hypothesein considerata, non desinunt summi Conditoris sapientiam celebrare, quod ex defensorum scriptis constat. Nam cœli spectator sive navi vectus, sive terræ firmæ innixus, eadem semper videt Omnipotentis admiranda opera. Qui verò summum Conditorem venerantur, ejusq; bonitatem erga genus humanum agnoscunt & celebrant, inquirant quoque, utrum ille Benignissimus mortales docere voluerit, qua ratione ex misero statu ad cœlestem & perennem felicitatem transeundum sit. Si in quæstione tanti momenti hæsitent, amor proprius jubet, ut Scripturam S. legant, & Theologorum rationes ponderent.

XXVI.

Nos credimus Scripturam S. inspiratam esse viris sanctis, ut homines dogmata de Redemptore mundi sancta, sanctas promissiones æternæ felicitatis, vaticinia divina & eventu comprobata, miracula divina virtute effecta, præcepta ad sanctam vitam ducentia discant. Si quæ occurrant hypothesei Copernicanæ contraria, perpendant velim, plures olim fuisse Astronomorum hypotheses, non minori fiducia propagatas, nostra verò ætate vel rejectas, vel emendatas.

XXVII.

Animadvertant porro, illam hypothesein nondum esse demonstratam, quia eadem phænomena apparent spectatori sive in terra quiescenti, sive cum terra moto, secundum Thef. XIX. Cogitent quoque fixarum parallaxin nondum esse inventam, quam Copernici magnopere quæsierunt, secundum Thef. XXI. Denique perpendant simplicitatem hypotheseos, quam Copernicani tantum extollunt, non esse infallibilem veritatis characterem. Qui enim de machina quadam æquum ferre vult iudicium, eum oportet omnes ejusdem usus & fines bene exploratos habere. Quis verò mortalium omnes machinæ cœlestis usus, omnesque fines ab Omnipotente intentos, sibi notos esse dicere audeat.

XXVIII.

Sed posito eam hypothesein esse veram, num verò propterea Scriptura S. vilipendenda est, quia de terræ quiete, de ortu & occasu Solis loquitur? Si quæ difficultas occurrit, nonne illa rectius in interpretum rationandi facultatem, quam in ipsam Scripturam rejicienda erit? Scriptura S. omnes homines tam simplices, quam eruditos, viam ad salutem æternam docet; si ea dixisset, Solem esse 1000000 vicibus terra majorem, terram esse planetam & gyrare circa Solem, hunc verò quiescere; stellas fixas neque oriri, neque occidere &c. nonne hæc maximam hominum partem per tot seculorum decursus à libri hujus lectione potius retraxissent, quam ad eandem adduxissent.

XXIX.

Nec prætermittenda est, quæ Reyheri, Mathematici Kiloniensis est, sententia: *Ex verbis: Sol oritur, Sol occidit, inquit, Sol ingreditur arietem, tabula medii motus Solis, & ex infinitis aliis passim in libris Copernici obviis, non esse concludendum,*

cludendum, Copernicum putasse Solem revera moveri. Matth. Mosaica p. 603. seq. & p. 605. Ex quibus manifestum est, quod si certis observationibus evictum esset, Solem quiescere & terram moveri, neutiquam dicendum esse, Scripturam, quæ Soli motum & terræ quietem adscribit, errare, vel loqui secundum vulgi opinionem erroneam, quia Scriptura S. de cœlestibus phænomenis loqui potest opticè, & uti illa terricolarum incolis apparent, sic enim frequentissimè Astronomi loquuntur, quibus propterea nullus error imputatur.

XXX.

Adspiciamus utriusque systematis delineationem, & contemplemur ordinem, quem planetæ in systemate planetario ex Astronomorum sententiis servant, ex utroque relicebit divina sapientia, potentia & bonitas, quia utrumque aliquid veri continet: Figura I. exhibet systema Tychoonis de Brahe, in quo terra immobilis & Sol mobilis supponitur. In extremitate circuli vides stellas fixas, quæ optimo telescopio spectatæ velut puncta lucentia sine visibili latitudine refulgent. Hugen. Cosmoth. p. 135. Earum numerus soli **DEO**, non terricolis notus est, licet hi omnem adhibuerint laborem, ut eos computarent. Dn. Hevelius, magni nominis Astronomus, numerum earum iniit, invenitque 1888, ex quibus 950 notæ fuerunt veteribus, 603 ab ipso, & 335 à Dn. Halleyo in meridionalibus terris inventæ sunt. Conf. Prodrom. Astron. Hevelii, p. 119. Sed usu telescopiorum compertum est, viam lacteam ex innumeris stellis formari, unamque stellam nudo oculo visam, per telescopium varias alias referre. Inde spes stellas in certum numerum colligendi, plane evanuit. Hinc stellæ fixæ nostro tempore sunt innumerabiles, uti fuerunt ætate Abrahami, ad quem **DEUS** dixit: *suspice nunc versus cœlum & numera stellas, num potes*

numerare eas? Gen. XV. 5. Ex quibus verbis constat, stellas fixas Abrahami ætate fuisse innumerabiles. Consideratis istis punctis lucentibus mente revolve cogitationes Jobi Cap. 9. v. 9. 10. expressas: *qui facit Arcturum, Orionem, & Pleiades & penetralia Austri; qui facit magna, quorum nulla est investigatio, & mirabilia, quorum non est numerus.*

XXXI.

A stellis fixis converte oculos ad planetas, & quidem primo ad Saturnum, in cujus orbita 30. figuras spirales conspicias, quas ille 30 annorum spatio percurrit. Nam ex hypothese Tych. Saturnus & reliqui planetæ, excepto Sole & Luna, cum Sole tanquam centro suo per Zodiacum circa terram Solis centrum, feruntur, quo motu pro diversitate temporis periodici, plures vel pauciores ejusmodi spiras in orbitis suis describunt. Non omnium planetarum, sed tantum duorum superiorum delineavimus spiras, quia his perceptis reliquas facile cognoscimus, conf. Fig. I. Omnes autem eum in finem sunt inventæ, ut planetarum progressiones, retrogradationes, stationes &c, explicarent. Hos planetarum motus spirales admittere debent omnes, qui terram immobilem & Solem mobilem statuunt, & hi habent, quos admirentur planetarum vias, in terricolarum oculis admirabiles.

XXXII.

A systemate Tychonis ad Copernicanum, hodie variis modis auctum & Fig. II. delineatum procedimus. Videmus in eo primo loco Saturnum quinque lunulis ornatum, quæ circa Saturnum gyraunt, uti Luna nostra circa terram. Absolvit ille orbitam suam spatio 10759 dierum, fere 30 annorum, distatque à Sole 9538 partibus. Hoc ut intelligatur, observandum est: Astronomos distantiam telluris à Sole dividere in mille partes æquales, quas verò cum nulla mensura nobis nota conferre

po-

potuerunt. Interim conferunt distantiam telluris cum reliquorum Planetarum distantis à Sole, & ostendunt distantiarum illarum partes. Conf. Gravesande Elem. Phys. T. II. p. III.

XXXIII.

Conspicimus deinde Jovem planetarum maximum, quatuor lunulis circumdatum, qui orbitam suam 4332 diebus, 12 horis, vel 12 annis, percurrit, distatque 5201 partibus à Sole. Hunc excipit Mars sine lunula procedens & tempore 686 dierum, 23 horarum, vel 2 annis orbitam suam absolvens, in distantia à Sole 1524 partium. Martem sequitur Tellus inter planetas relata & luna ornata, quæ spatio 365 dierum, 5 horarum & 51 minutorum, orbitam suam per Zodiacum decurrit, & ex hypothese 1000 partibus distat à Sole. Tellurem excipit Venus, planeta satis lucidus, qui spatio 224 dierum, 17 horarum, vel 7½ mensium orbitam suam percurrit, & à Sole 723 partibus distat. Ultimus & Soli proximus planeta est Mercurius, qui tempore 87 dierum & 23 horarum sese circa Solem revolvit, in distantia à Sole 387 partium. Denique fere in centro consistit Sol, qui exiguo motu circa axin spatio 25 dierum agitur. Gravesande l. c.

XXXIV.

Antequam discedamus à systemate planetario, ponderanda nobis sunt corpora planetarum exiguis figuris signata. Terræ magnitudinem admiramur omnes, qui perpendimus, hunc globum terraqueum tot maria, tot insulas, tot continentes, inque iis tot imperia & regna continere. Pleniorrem magnitudinis terræ cognitionem acquies, si fingas te ab Austro ad Boream proficisci, & observes, te, confecto uno gradu, perfecisse 15 milliaria germanica. Porro totus

K

me.

meridianus habet 360 gradus, si verò unus gradus dat 15 milliaria germanica, 360 dabunt 5400 milliaria. Si totam telluris spissitudinem desideras, invenies eam juxta Archimedis Cyclometriæ Proposit. 2. hoc modo: ut 22 ad 7, sic 5400 ad diametrum terræ, quæ erit $1718\frac{2}{3}$, vel ut numero rotundo utar 1720 milliar. germanic. Ex quo colligitur aream maximi terrestris circuli esse 2,322,000 milliar. germ. quadratorum, totamque terræ superficiem sphericam complecti 9,288,000 milliaria germanica quadrata. Ex his moles terræ conjicitur, quæ omnium consensu est maxima; si verò terræ molem conferas cum aliis planetis, Jove & Saturno fig. III. delineatis, facile cognosces, terram cum illis comparatam esse instar puncti, & illos hac longè majores: habes enim ibi proportionem planetarum ex mente Hugonii delineatas. Conspicis ibidem Saturnum admirando annulo ornatum, in cujus descriptione prolixi sunt Astronomi. Nunc, quæso, dic mihi, quis tantorum & admirandorum corporum Creator? quis Formator? quæ manus ea collocavit in cælo fluido? concinno ordine ea collocata vides in systemate planetario. Quis condidit Solem, qui illa corpora opaca illuminat & calefacit? Agnosce ex his tuum Creatorem, potentissimum, sapientissimum, benignissimum, eumque adora.

XXXV.

Qui domum ingreditur, omniaque ad proportionem constructa & exornata cognoscit, facile intelligit, adfuisse Architectum peritum, cujus studio illa ædificata sunt. Nos sumus systematis planetarii speculatores, videmus Solem, qui omnes planetas illuminat, videmus illorum illuminata corpora, non confuso, sed pulcherrimo ordine disposita: Nam ex observatione Astronomorum, quadrata temporum

perio-

periodicorum sunt uti cubi distantiarum, nonne dicamus sapientissimum Conditorem ea omnia creasse, formasse & disposuisse, ut in terricolarum oculos, (minutissimos illos globulos) incurrant, nosque moneant, ut agnoscamus ejus potentiam & sapientiam, & celebremus ejus gloriam & benignitatem.

XXXVI.

Si quæsieris, quomodo planetæ à DEO creati sint; respondemus, nos, in re captum humanum excedente, ea sequi, quæ divinus Philosophus Moses revelavit Gen. I. 1. seqq. Observamus itaque 1) solum DEUM potentissimum & sapientissimum fuisse ab æterno, & in principio temporis creasse cælum & terram, i. e. Cælum cum materia, ex qua postmodum stellæ formatae sunt; & Terram, indigestam & rudem, ex qua terra nostra deinde formata est, v. 2. seq. 2) Existimamus DEUM omnipotentem sua voluntate & imperio, Ps. XXXIII. 9. Hebr. XI 3. illud cælum illamque terram ex nihilo produxisse, tanquam primam materiam, quæ ante illud imperium non extitit. 3) Uti ex illa terra rudi, formosa terra facta est, sic ex cælo ejusque indigesta mole die quarto creationis, planetæ, Sol & stellæ formatae sunt, Gen. I. 14. 15.

XXXVII.

In his meditationibus sequimur Mosen, divinum & antiquissimum Philosophum, cujus verba in allegorias vertere non licet, historias enim non propheticas visiones h. l. scripsit, & genuinos historiarum characteres observavit. Nec putamus, DEUM in creatione mundi, naturæ constitutæ leges semper esse secutum, nam voluntas divina fuit norma creationis. Fatemur quoque, DEUM in creatione terræ & planetarum, non egisse secundum extensionem potentiae

K 2

sua

suæ, sed secundum sapientiam, quæ sibi certos fines proposuit. Potuisset DEUS uno die, unicoque momento omnia creare, sed noluit. Leges naturæ constitutæ, quas physica scientia observat, explicando creationis operi non sufficiunt. DEUS enim aliter egit in creatione, & aliter agit in conservatione. Sufficit in Mosis narratione historica nullam esse contradictionem.

XXXVIII.

Sed objiciunt quidam, planetas hoc modo non esse creatos, quia supponuntur ex nihilo negativo producti, cui sententiæ repugnat Philosophorum axioma: *Ex nihilo nihil fit*. Respondeo, prædictum axioma verum esse in natura constituta, videmus enim res naturales, v. g. arbores, plantas, &c. & artificiales, v. g. turre, domus &c. factas esse ex materia præexistente; sed illud sine ratione applicatur naturæ constituendæ, seu creationi.

XXXIX.

Nam qui illud axioma naturæ constituendæ vel creationi applicant, & affirmant, in creatione à DEO nihil esse productum ex nihilo, magnum produnt errorem; unde enim quæso sunt animæ humanæ, hæ sanè nullo modo ex materia vel ejus modificationibus productæ sunt. Deinde, qui in natura constituta asserunt, nihil ex nihilo produci, illi respiciunt homines, qui sunt entia imperfecta & impotentia, à quibus nihil materiale ex nihilo producitur; sed si ascendimus ad creationem vel naturam constituendam, habemus in ea DEUM potentissimum, cui nemo creationem ex nihilo denegare potest; Non enim sequitur, si homines non possunt materiam ex nihilo producere, ergo nec DEUS eam producere potuit.

XL

XL.

Homines, licet imperfecti sint, producunt tamen res antea non existentes, novas cogitationes, motus locales & transformationes rerum; si verò homines quædam producere possunt, quæ non extiterunt, cur, quæso, dicimus DEUM non posse res non existentes producere? Fatemur equidem DEUM potentissimum, nihil producere posse, quod in natura sua involvit impossibilitatem absolutam seu contradictionem; sed rem aliquam, quæ antea non extitit, nunc existere, non inportat contradictionem. Conf. *Cudworth Intellectual System of the universe*, Cap. IV, p. 738. seqq. *Calov. Syst.* T. III. qu. I. p. 907. ubi plura.

XLI.

Scriptura sacra disertè asserit creationem ex nihilo. D. Paulus enim DEI potentiam descripturus, attribuit ei partim mortuorum resuscitationem, partim vocationem eorum, quæ non sunt, tanquam essent, Rom. IV. 17. Qui verò vocat ea, quæ non sunt, tanquam essent, ille non existentia producit, ut existant. Deinde evidenter satis idem S. Apostolus de creatione ex nihilo locutus est Hebr. XI 3. *Per fidem intelligimus constructum fuisse mundum, verbo DEI, (verbo mandati) ut quæ cernimus, facta sint* μή ἐκ Φαινομένων (per transpositionem ἐκ μή Φαινομένων) *ex non apparentibus (i. e. ex non existentibus) quam explanationem non solum Vulgatus & Syrus, sed alii plures interpretes sequuntur. Si verò cum Brasmo Schmidio ad h. l. sine transpositione verba vertas: ut ea, quæ videntur (creata visibilia) non facta sint ex apparentibus: sensus erit: Mundum esse conditum mandato DEI, & res creatas, v. g. homines, arbores, plantas &c. quas videmus in natura constituta, non factas esse per æternas generationes ex rebus*

apparentibus, v g. ex aliis hominibus, arboribus, plantis &c. sed eas verbo **DEI** ex nihilo esse productas. Ubi Paulus duo asserit: 1) mundum esse creatum verbo mandati divini, 2) creaturas visib.les non existere per æternas generationes, quod quidam Philosophi, qui materiæ & mundi æternitatem statuerunt, asseruerunt.

LXII.

A figura systematis planetarii convertimus oculos in cælum stelliferum, & adspicimus planetas ipsos lucidos, quorum ordinem & magnitudinem consideravimus, & observamus, omnes planetas ordine constanti moveri. Hoc cognito, dicas, rogo, quis illorum motuum autor, quis eorum conservator? utraque quæstio nostra consideratione digna est. Magna sit potentia, necesse est, quæ tanta in cælo corpora constanti ordine movet. Provocant quidem Philosophi ad vortices, quorum ope corpora illa moventur. Sturm, T. II. Phys. Elect p. 1025. Quos verò Newton. in Princ. Philos. Nat. L. III. p. m. 481. rejicit. Alii alias adducunt causas, quibus planetarum motus affingitur, vel adscribitur, quas Philosophis discutiendas relinquo. Quæcunque verò intermediæ motuum illorum causæ sint, quæstio ultima semper manet, quis primus & primarius motuum planetarum autor & conservator sit? Respondentem audiamus celeberrimum nostri temporis Philosophum Isaacum Newtonum, qui l. c. p. 482. de illis motibus ita differit: *Et hi omnes motus regulares originem non habent ex causis mechanicis; siquidem cometa in orbibus valde eccentricis, & in omnes cælorum partes libere feruntur. Et post pauca: Elegantissima hæc Solis, planetarum & cometarum compages non nisi consilio & dominio entis intelligentis & potentis oriri potuit. Hic omnia regit, non ut anima mundi, sed ut universorum*

verforum

versorum Dominus, & propter dominium suum Dominus DEUS
καὶ ὡς λέγεται dici solet.

XLIII.

Ut planetarum motus à solo **DEO** impressos & conservatos accuratius intelligas, velim, ut non solum eorum ordines constantes, quos perpetuò servant, sed etiam eorum velocitates perpendas, quibus in orbitis suis, provolvuntur. Comparabimus motum Veneris in orbita sua circa Solem, cum motu globi ex tormento majori, vi pulveris pyrii emisso, ex qua comparatione cognosces Venerem in orbita sua longè velocius procurrere, quam globus ex tormento emissus.

XLIV.

Merfennus in Balisticis commemorat, globum ex tormento majori emissum singulis horæ secundis scrupulis, sive arteriæ pulsibus, centum circiter hexapedas (*toises*) conficere (videatur Hugeni Cosmotheoros L. II. p. 124. seqq.) Supponamus: Diametrum terræ continere 6,536,606 hexapedas juxta Newt. Princ. Mathem. p. 387. ex quo sequitur, globum ex tormento emissum 18. horis percurrere unam diametrum terræ. Si porro supponamus cum Astronimis, Venerem distare à Sole 7000 diametris terræ, i. e. semidiametrum orbitæ Veneris continere 7000 diametros terræ, & totam diametrum orbitæ ejusdem 14000 diametros terræ. His suppositis, secundum rationem 113 ad 355 circumferentia seu orbita Veneris erit 43,982 diametrorum terræ. Hanc circumferentiam, seu Veneris orbitam percurreret globus è tormento emissus tempore 32,996 dierum, supposito, globum illum unam terræ diametrum spatio 18 horarum percurrere. Sed notum est, globum Veneris percurrere orbitam suam spatio 224. dierum. Ex quo

quo

quo sequitur Veneris globum longè velocius in orbita sua currere, quam globus ex tormento majori emissus. Nam globus è tormento emissus, spatio 32, 996 dierum orbitam Veneris semel percurrit, quam globus Veneris tot dierum spatio 147 vicibus percurrit. Comprobatur hic computus calculo Cl. Nieuwentyt loco mox citando.

XLV.


Eadem methodo velocitatem Jovis in orbita sua indagare possumus, qui 54 vicibus velocius procedit, quam globus è tormento emissus. Vid. Clar. Nieuwentyt Relig. Philosophi, Vol. III. p. 831. Sic & reliquorum planetarum velocitates inveniuntur, & cum velocitate globi ex tormento emissi comparantur. Ex his manifestum est, omnes planetas in orbitis suis, nobis non advertentibus, velocissimè procurrere. Nobis quidem terricolis planetæ sereno cœlo visi tardè moveri videntur; sed Astronomi, qui eorum motus dimetiuntur, intelligunt, omnes planetas velocissimè procurrere. Hic subsistamus, & quæramus, unde velocissimus planetarum motus sit? corpora terraquea se movere non possunt; quæ ergo manus planetis impressit motum illum velocissimum, quæ eundem constanti ordine conservat? Nullam videmus aut intelligimus, præter omnipotentem illam, quæ omnia creavit & sustentat. Celebremus itaque potentiam DEI per velum motuum planetarum conspicuam.

XLVI.

Si quæsieris, qua ratione concipiendus sit motus à DEO planetis impressus? Respondeo, a) benè advertendum esse, DEUM esse immaterialem, & ens immateriale non posse localiter moveri, quæ enim localiter moventur, sunt corpora, & moventur ab alio, b) Observandum DEUM esse

esse

Fig. 1.



Proportiones Planet.




III.

Fig.



Proportiones Planet.

Fig. 11.



ad p. 80.

8
9
C
8
C
F
F

g
E
l
l
e
r
F
v
c
F
r
i
v
c
i
c
l
c
i
f



esse ens, quod intelligit & vult; voluntas DEI libera & à nullo alio ente mota, vult, ut planetæ moveantur, & hæc omnipotens DEI voluntas est causa prima motûs planetarum. Hinc dixit Psalter: *Certe ipse dixit, & factum est, & ipse præcepit, & stetit.* Ps. XXXIII. 9. In ordine naturali præcedit voluntas divina, tanquam prima causa motus; & sequitur planetarum motus localis. Præcedit motus mentalis, sequitur motus localis. Uti mens mea voluntate sua movet manum meam, sic DEUS voluntate omnipotenti movet planetas.

XLVII.

Objiciunt quidam: *quicquid movetur, id non à se ipso, sed ab alio movetur.* Ideo datur æternum motum, non vero æternus motor. Respondeo a) Philosophos eo axiomatico usus esse in descriptione motus localis, ejusque sensum esse: omne corpus localiter motum, non à se ipso; sed ab alio moveri. Ex eo vero non sequitur: omne corpus motum moveri à corpore moto in infinitum, sine ullo primo motore, qui à nullo motus, omnia moveat. In causis enim motuum non datur progressus in infinitum; si enim non datur primus immotus motor, non datur causa motus. Omnis enim motus est passio, quæ procedit ab alio; si non datur primus immotus motor, sequitur dari passionem sine actione, & patientem sine agente. Sequitur quoque motum procedere à nihilo, à nulla causa, quod absolum.

XLVIII.

Multa vidimus corpora in systemate planetario conspicua, sed supersunt plura, quandoque tantum in oculos terricolarum incurrentia. Cometæ rarius apparentes etiam considerandi sunt, quorum corpora, caudæ, motus, terricolis

L

ad-

admirationem & terrorem incutiunt. Recentiores Astronomi cometas ad planetarum genus referunt, qui luce Solis à se reflexa splendent, rejiciuntque eorum opinionem, qui eos ad meteora retulerunt. Nam licet in eorum capitibus perpetuæ mutationes observentur, eas tamen in eorum atmosphæris, quæ ingentes sunt, fieri, alii judicant. Newton. Princ. Phil. Nat. Lib. III. p. m. 444. Qui Vir Clar. p. 466. addit: corpora cometarum esse solida, compacta, fixa ac durabilia adinstar corporum planetarum.

XLIX.

Variæ opiniones de cometarum caudis prostant, quidam enim putant, eas esse jubar Solis per translucida cometarum corpora propagatum. Alii opinantur, caudas ex refractione lucis in progressu ipsius à capite cometæ oriri. Recentiores denique judicant, caudas esse vapores à capite cometæ jugiter surgentes & abeuntes in partes à Sole averfas. Duas priores opiniones rejicit Newton, tertiam pluribus rationibus adstruxit l. c. p. m. 467. seqq. Maxima fuit cometæ cauda Anno 1680 visa, quam me cum admiratione adspexisse benè memini. Observavit Clar. Newton, hunc cometam mense Decembri, ubi ad Solem incaluerat, caudam emisisse longè majorem, & splendidiorē, quam antea mense Novembri, ubi perihelium nondum attigerat; indeq; colligit, calefactionem conducere ad magnitudinem caudæ, eumque esse vaporem longè tenuissimum, quem caput cometæ per calorem suum emittit.

L.

Cometas Luna esse superiores, & versari in regione planetarum, variisque motibus in varias cœlorum partes migrare, & non instar planetarum in Zodiaco comprehendi, docuerunt Astronomi, Newton. l. c. p. 439. Illud quoque obser-

obser-

observationibus constat, cometas trajectorias parabolicas motu suo circa Solem describere. Cometa enim Anno 1680, visus mense Novembri, ad Solem proximè descendit; & mensibus Decembri, Januario, Febuario & Martio ab eodem adscendit; sed hæc ex figuris Clar. Newton. l. c. additis, & ex systemate solari juxta Clar. Halleyi tabulam cometarum descripto, & ante duos annos Londini edito, evidentius cognoscuntur.

LI.

Quos fines summus Creator intenderit, cum cometas conderet, terricolæ certo non assequuntur, hinc variæ opiniones natæ sunt. Quidam putant eos esse justitiæ divinæ executores, ut terricolis terrorem incuterent; alii cometas accensos pro inferno habent. Vid. W. Derham Astro-Theology, Lib. III. c. 2. p. 55. Clar. Newton existimat, cometas ad conservationem marium & humorum in planetis requiri, ut ex illorum exhalationibus & vaporibus condensatis, quicquid liquoris per vegetationem & putrefactionem consumitur, & in terram aridam convertitur, continuo suppleri & refici possit, l. c. p. 473. Idem Clar. Vir opinatur, stellas fixas, quæ paulatim exspirant, cometis in ipsas incidentibus refici, & novo alimento accendi posse, ut pro novis stellis habeantur, l. c. p. 481. Alii ex cometarum appropinquantium vaporibus diluviorum originem deducunt. In rebus incertis homines in varias discedunt sententias. Id est certissimum, fines cometarum terricolis non satis notos esse.

LII.

Nostrum non est quid certi determinare conjecturis infirmo fundamento innixis; licet vero admirari sapientiam, potentiam & bonitatem DEI, Quanta est DEI

L 2

poten-

potentia, quæ eos creavit, quæque eos movet. Incedunt illi in orbibus excentricis, nec observatum est, eos vel terram, vel Lunam, vel alios planetas unquam turbasse, quod Conditoris & Conservatoris sapientiam & bonitatem arguit. Existimo itaque cometas esse majusculas literas in cælo DEI manu scriptas, terricolis sapientiam, potentiam & bonitatem DEI significantes. Homines, qui ordinaria & admiranda cæli phænomena negligunt & contemnunt, extraordinariis quandoque excitantur, ut Dominum & universi orbis Rectorem agnoscant & venerentur.

LIII.

Tandem systema planetarium stellæ fixæ ambiunt, quæ nobis visæ suos ordines constanter servant. Putant quidam, stellas ex Solis centro visas alium spectatori exhibituras esse ordinem, sed hoc mittimus, quia DEUS voluit, ut nos ex terra, & non ex Sole eas conspiciamus. Id vero quæritur, utrum fixæ omnes ejusdem sint magnitudinis, an vero diversæ? Astronomi quidam putant, incertum esse, utrum discrepans earum apparentia à diversa magnitudine, an vero à diversa earum distantia oriatur. Nos S. Paulum audiamus, qui I. Cor. XV. 41. dixit: *Stellam à stella differre in gloria.* Neque hoc sine ratione dicimus, quia Astronomi observarunt, (Hevel. Prodr. Astron. cap. VIII. p. 120. seq.) quasdam fixas mutasse suas magnitudines, minoresque factas, quod difficulter majori distantia adscribitur. Uti planetæ diversæ sunt magnitudinis, sic quoque cum S. Paulo dicimus: *stellas fixas differre in gloria.*

LIV.

Qui Numen, quod cuncta gubernat, cognoscere cupit, cælum adspiciat, advertatque innumeras fixas stellas,
quæ

quæ systema planetarium ambiunt, constantemque ordinem inter sese servant. Deinde convertat oculos in systema planetarium, & contempletur planetas primarios cum suis Lunulis circa Solem constanti ordine gyrantes. Porro sibi in mentem revocet cometas ex alto cœlo ad Solem descendentes, & ab eodem adscendentes, cogitetque eos per planetarum orbis motu prorsus diverso incedere. Tandem quærat, quis tot tantaque corpora creavit, quis eadem disposuit in ordines; quis eadem movet, ut constanter procedant, nec se mutuo turbent; quis talem ipsius motum impressit, ut incredibili velocitate procurrant? Spero quemvis, qui hæc animo præjudiciis falsis non turbato perpendit, cogniturum DEUM, ejusque sapientiam, potentiam & bonitatem humili mente celebraturum. *Dominus sapientia fundavit terram, & stabilivit cœlos intelligentia.* Prov. III, 19.

LV.

Sed hæc parum curant Athei, sibi aliisque persuasuri, omnia, quæ videmus corpora cœlestia, eadem forma eodemque habitu ab æterno extitisse, & licet planetarum motus præsentis revolutione terminentur, eos tamen absque initio infinitos & æternos esse. Respondemus, æternitas successiva præterita non datur, licet detur æternitas successiva futura. In æternitate successiva futura semper concipi possunt momenta futura, quæ erunt præsentia, quæque habent infinita alia secutura. Sed in æternitate præterita non concipi possunt momenta, quæ fuerunt præsentia, quæque habeant alia & infinita momenta præterita. Perpendendum enim est, infinitas illas planetarum revolutiones olim fuisse præsentis, præteritum enim

L 3

esse

esse nequit, quod non fuit præsens; quæ vero revolutio olim fuit præsens, ea non potest infinitis distantibus à revolutione nunc præsentem distare. Hoc argumentum necessario concludit contra æternam durationem præteritorum motuum successivorum; æternam vero Numinis existentiam non tangit, quia in DEO non datur præteritum, nec futurum, nec ulla successio.

LVI.

Ponamus, infinitas Solis circa tellurem præterisse revolutiones; ex eo sequetur, inter aliquam præteritarum & præsentem revolutionem esse infinitas distantias. Ast vero evidens est, nullam præteritam & successivam revolutionem, distare infinitis distantibus à præsentem revolutione, quia omnis præterita revolutio definitur, & terminatur duobus æquinoctiis, & 365. diebus, uti revolutio præsens. Cujus vero durationis extrema definiuntur & terminantur, illa non possunt dici infinita. Porro si ponas præteritas revolutiones esse infinitas, necesse est, ut quoque ponas æquinoctia infinita, & dies infinitos; Habebis ergo infinitas revolutiones annuas, infinita æquinoctia, infinitos dies. Sed infinitus numerus revolutionum annuarum minor erit infinito numero æquinoctiorum, & infinitus numerus æquinoctiorum erit minor infinito numero dierum. Habebis ergo tres numeros infinitos, quorum alter altero minor est, quod absurdum.

LVII.

Tandem si revolutiones Solis circa tellurem, æternæ supponantur, genus humanum quoque æternum statuendum est; secus æterna nostra tellus post æternam vastitatem & sterilitatem tandem sua sponte produxisset homines, sine externa causa accedente, quod absurdum ad hunc usque di-

di.

diem nullum invenit defensores. Si vero genus humanum habuit initium, & à DEO est conditum, sequitur tellurem totumque systema planetarium suum à DEO accepiss. exordium.

LVIII.

Alii, qui mundi exordium concedunt, putarunt materiam, ex qua ille factus, esse æternam. Sed respondeamus 1) supra ostensum esse §. 38. seqq. materiam ex nihilo productam non importare contradictionem. 2) Materie naturam & definitionem non involvere existentie necessitatem. Quamvis enim atomi non resolvi possint in nihilum, haud tamen sequitur eas habere à se ipsis existentiam. 3) Si atomus à se ipsa existeret, sequeretur, eam esse nobiliorem anima, quam supra §. 39. creatam fuisse probavimus. Quis vero sine absurditate assereret, minimum atramenti punctum excellentius esse anima nostra. Ex his rationibus patet, materiam non existere ab æterno, sed esse à DEO creatam.

LIX.

Tandem perpendendum est, systema planetarum cum suis corporibus ex chao præexistente sine Numinis imperio, fortuito atomorum concursu nunquam produci potuisse. Rationes, quæ hoc evincunt, sequentes produco. 1) Si concipias chaos finitum, cognosces, ope gravitationis exteriores chaecos atomos tendere ad interiores, tandemque constitui unam massam sphericam; sed constat, in systemate planetario plures esse massas sphericas. 2) Posito plures ortas esse massas sphericas, nulla ratio reddi potest, quo modo illæ ex loco quietis, in circulare & circa Solem concentricum motum sint perductæ sine externo Numinis imperio. Nulla prostat naturalis causa, quæ motus illos

im-

imprimere potuerit. 3) Novimus stellas fixas, quæ pro Solibus habentur, ambire systema planetarium; at vero stellæ fixæ habent suam ex hypothesi gravitationem, unde ergo est, quod systema planetarium conservetur, nec fixarum stellarum tendentia vel gravitatione turbetur, aut comprimatur? Quis prohibet stellas fixas, ne in systema planetarium descendant, ad quod gravitatione sua feruntur? Qui has perpendit rationes, facile concedet, systema planetarium potentissimo Numinis imperio conservari. *Laudent nomen Domini, quia ipse præcepit, & creata sunt, & fecit, ut consisterent (creata) in perpetuum & in seculum. Statutum posuit, quod non transibit. Ps. CXLVIII. 5. 6.*

LX.

Quo longius in his contemplationibus progredimur, eo evidentius se nobis summus Creator manifestat; quo plura consideramus cœlestia corpora, eo plura cognoscimus sapientiæ & potentiæ divinæ documenta. Vera sunt, quæ S. Paulus similibus meditationibus occupatus scripsit: *DEI invisibilia, ex rebus conditis intelliguntur, ex creatione mundi perspiciuntur, æterna videlicet ejus tum potentia, tum divinitas ad hoc, ut sint ipsi (homines) inexcusabiles. Rom. I, 20.* Pauca sunt, quæ diximus, longe plura dixerint Astrologi & Physici, qui de rerum causis, proportionibus, apparentiis, motibus &c. fusius differunt. Nos, qui pauca contemplati sumus, blandum percipimus gaudium, & admiramur splendida DEI opera cum Psalte: *Magna (enim) sunt opera Domini, explorata sunt omnibus, qui delectantur illis, Ps. CXI. 2.* Delectentur alii artificum machinis, picturis, aliisque operibus humanis, nos contemplabimur sapientissimi & potentissimi Creatoris opera. *Celebremus DEUM, quia admiranda sunt opera ejus, & anima nostra cognoscit id abunde. Ps. CXXXIX. 14.*

CAP. VI.

CAP. VI.

De Anima Deitatis Speculo.

I.

A Stellis visibilibus progredimur ad animam hominis invisibilem, quam contemplabimur ea intentione, ut ejus Creatorem cognoscamus & celebremus. Anima est excellentissima, quam cognoscimus, creatura, prædita facultatibus spiritualibus percipiendi, percepta retinendi, eadem comparandi, & utrum conjungenda vel disjungenda sint judicandi. Eadem quoque habet facultatem judicio de rebus lato conformiter agendi, quam libertatem nominamus, apta enim est anima, agere vel non agere, hoc agere vel illud agere, prout quodque convenientissimum videtur. Dabimus operam, ut Deitatem in anima cognoscamus. Si enim creaturæ materiales specula Divinitatis sunt, & Creatoris sapientiam, potentiam & bonitatem in oculos nostros reflectunt; cur, quæso, anima immaterialis, excellentissima creatura, non referat DEUM, Conditorem suum evidentius? Hæc enim simplicitate essentia & spiritualibus facultatibus intelligendi, volendi, libere agendi, res materiales movendi longe clarius essentiam divinam & attributa adumbrat, quam omnes aliæ materiales creaturæ. Qui animam accuratius contemplatur, & in contemplatione ad ejus Creatorem suspicit, plurima in DEO cognoscet, quæ antea vel abscondita, vel obscura fuerunt.

II.

Age, ingrediamur viam, qua ad cognitionem animæ pervenire licet; prius enim anima cognoscenda est, quam

M

DE-

DEUM ex eadem cognoscamus. Ponamus: nos in horto videre duas arbores, alteram majorem, minorem alteram; utraq; per varios motus physicos excitabit imagines in fundo oculi & in cerebro. Hic habemus imagines per motus physicos in oculo & cerebro productas: sed nemo dixerit, illas in materia absolvere cogitationem; necesse enim est, ut accedat perceptio, qua interne conscii sumus, tales arbores oculis nostris obversari. Nam observandum est: arbores, in oculos nostros incurrentes, quandoque à nobis adverti, quandoque non adverti. Si de rebus arduis colloquamur, nostræque cogitationes alio sint directæ, non percipimus obvias arbores; si vero liberi & ad eas attentii sumus, nec aliud quid cogitamus, percipimus obvias arbores. Ex quo patet 1) imagines per motus physicos in oculo & cerebro excitatas non absolvere cogitationes; arbor enim occurrens excitat imaginem, sed quandoque nulla sequitur perceptio; 2) patet, præter materialem oculum, qui imaginem arboris recipit, & præter cerebrum, in quo visus terminatur, esse in nobis aliquid, quod imagines excitatas percipit, quod animam cogitantem appellamus.

III.

Hucusque vidimus, perceptionem, qua nostrarum arborum conscii sumus, non esse actionem nostri corporis materialis, sed substantiæ alius & diversæ naturæ, quam animam appellamus. Progrediamur & consideremus plures actiones, quas anima occasione oblatarum arborum peragit, & cognoscemus, esse in nobis actiones, quas materiæ & motui nulla ratione adscribere possumus. Anima oblatas arborum imagines percipiens, mox plures peragit actiones, quæ à corpore

ex

ex particulis composito vel materiali, nullo modo fieri possunt. Nos duas arbores considerantes, percipimus: 1) arbores à se invicem esse distinctas ratione loci & quantitatis; 2) alteram arborem altera esse majorem; 3) fructus utriusque arboris esse diversos. Explicet, qui potest, qua ratione materia concipiat, duas arbores esse inter se & à me ipso, qui illas video, distinctas, & quomodo materia de distinctis rebus judicium ferat? Qui hæc recte perpendit, concesserit facile, res percipere, earum conscium esse, eas distingvere, de iis judicium ferre, non esse actiones materiæ, sed alius cujusdam & nobilioris naturæ. Spero, hæc accuratius considerantem, lubenter passurum, præter materiam esse substantias alius naturæ, nempe simplices & immateriales.

IV.

Sunt plures in nobis operationes, quas corporis figuræ & motui frustra & sine ratione adscripseris. Possumus duas propositiones, in quibus convenientiam subjecti & prædicati cernimus, affirmare, & tertiam ex iisdem inferre, quæ actiones nullo modo à materia procedere, nulloque motu physico in materia produci possunt, v. g. argumentari possumus: Qui nos creavit, à nobis est adorandus; DEUS nos creavit; Ergo. Dic mihi, qua ratione cerebrum movetur, cum propositionem primam & secundam affirmas, cum ex duabus tertiam inferas. Finge, quascunque volueris cerebri figuras aut ejusdem impulsus, actiones aut reactiones, nihil explicabis. Si dixeris: Ideam DEI & adorationis quibusdam cerebri partibus esse impressam; rogo, dicas, quæ materia illas ideas conjungat, & unam de altera affirmet; & quomodo ex duabus propositionibus tertiam inferat, & quomodo nos omnium trium conscii simus. Vel age, dividamus ideam

M 2

DEI

DEI in quatuor partes; dic mihi, quæ sit dimidia de DEO cogitatio, quæ tertia aut quarta pars ejusdem. Dividamus quoque adorationis cogitationem, & dicas mihi, rogo, quæ ejus pars prima & secunda. Si hæc non procedunt, ipse vero conscius es, cogitationes esse indivisibiles, agnosce, animam esse immaterialem, non compositam ex partibus, sed substantiam simplicem.

V.

Velim, ut porro perpendas, utrum materia possit certum sibi proponere finem, & eligere media ad eum ducentia, actionesque dirigere, ut eum consequamur, eoque obtento gaudeamus? Si hæc ex materia & motu demonstrare potueris, concedam, præter materiam non dari substantiam; si vero hæc perficere non potueris, fatearis, necesse est, omnes illas actiones non materiæ aut ejus motui, sed substantiæ alius naturæ spirituali & ex nullis particulis compositæ esse adscribendas.

VI.

Sic quoque in nobis experimur gaudium spirituale. Si enim summi Numinis amorem contemplamur; si Ejus beneficia in memoriam revocamus; si plura ab Ejus bonitate speramus; suffundimur gaudio, percipimus animi tranquillitatem & serenitatem, perceptionemque ineffabilem. Quæ, quæso, materia, qualis ejus configuratio, quæ materiæ actio vel reactio est, quæ amorem DEI percipit, quæ beneficia Ejus recolit, quæ gaudii spiritualis perceptionem, quam experimur, constituit & efficit. Nisi animam spirituales & à materia diversam admittas, hæc nunquam explicueris. Addere possum, animam non solum gaudere, sed etiam, cum Justitiam divinam meditatur, dolere & horrere; quales perceptiones in materia ex particulis composita fieri posse

posse

posse nunquam ipse intellexeris, multo minus aliis demonstraveris.

VII.

Id quoque maxime admirandum experimur, nosmet ipsos corrigere ideas erroneas, quas per sensus acquisivimus. Ex quo denuo intelligimus, esse in nobis substantiam à materia diversam. Mentem meam exemplo declarabo. Solis quantitas oculis visa admodum parva est, & vix pilei magnitudinem excedit; si vero lunæ eclipses advertimus, visus errorem cognoscimus, solemq; longe majorem esse demonstramus. Dic mihi, quæso, qualis materiæ actio & reactio constituit illam erronearum idearum correctionem. Certe ex hac observatione constat, esse in nobis aliquam substantiam diversam à materia, quam simplicem & immaterialem appellamus, quæ sensus errores corrigit. Epicurus, argumenti vim enervaturus, non sine temeritate asseruit, solis quantitatem apparentia sua non esse majorem.

VIII.

Animæ perceptiones & judicium non prodire ex materia evidenter quoq; demonstrat clariss. Samuel Clarckius, ratione satis evidenti in libello de l'Existence et des Attributs de Dieu, T. I. p. m 86. *Quicquid factum aut compositum est, inquit, ex re aliqua, id semper est id, ex quo est compositum, sive illud componas, sive dividas in infinitum, id semper manet idem, v. g. Omnes mutationes figuræ, omnes ejusdem compositiones & divisiones semper sunt figuræ, & nihil aliud fiunt. Et omnes compositiones & effectus motus, semper sunt & manent motus, nec quicquam aliud fiunt. Si ergo præter materiam & motum nihil est in hoc universo, necessario sequitur, nihil in eo esse posse præter materiam & motum. Ex quo infertur: Si in hoc mundo sola materia ejusque motus*

M 3

& si-

Et figura admittatur, sequitur necessario, nullas esse cogitationes in mundo, quod experientia reluctatur.

IX.

Velim, ut serio perpendas in te esse substantiam, quæ intelligit, & rerum visarum est conscia, quæ res plures visas distingvit, & de subjecto prædicatum affirmat vel negat; quæ ex duabus propositionibus tertiam infert, quæ finem sibi proponit, ad quem actiones dirigit, quæ gaudet & dolet, quæ erroneas sensus ideas corrigit, & quæ alias peragit actiones, quas neque materiæ, neque motui inesse intelligis; velim, inquam, ut hæc serio perpendas & agnoscas in te, præter corpus visibile esse aliam substantiam, quam ex operationibus intelligis simplicem & spiritualement, ex nullis materiæ particulis compositam, indivisibilem, non figuratam, invisibilem, adeoque plane diversæ nobiliorisque naturæ, quæ longe nobiliores actiones peragit, quam ulla materialis substantia efficere potest. Hanc, rogo, attente mediteris substantiam, eaque considerata fatearis, non existere solum substantias materiales, sed etiam alias, quas immateriales, spirituales & simplices nuncupamus.

X.

Sunt quidam Philosophi, quos inter *Cowardus* Anglicanus Medicus, qui putant, per omnipotentiam DEI factum esse, ut potentia percipiendi & dijudicandi &c. materiæ insit, & propterea substantiam immaterialem imposturam Philosophorum appellarunt. Ex hac opinione *Cowardus* dixit: animam esse originaliter afflatum, qui materiæ (quæ antea non sensit) divinitus infusus est, quo eadem vivit, sentit, ratiocinatur. *Second thoughts concernig human soul. Ch. IV. p. m. 79.* Supponit Autor 1) Adami corpus ante flatus vitalis inspirationem nullos habuisse sensus; 2) animam, seu

seu vitalem flatum non esse substantiam, sed tantum potentiam activam & accidens materiæ p. m. 78. sq. 3) intelligere, velle, judicare, eligere, aliasque operationes animæ dependere naturaliter à circulatione sanguinis, p. 92.

XI.

Resp. Nos quidem concedere, antequam DEUS Adamum afflavit, corpus Adami nullos habuisse sensus; sed negamus facultatem intelligendi &c. esse corporis qualitatem & accidens. Nam 1) essentiæ rerum sunt immutabiles; uti proprietates substantiarum materialium, v. g. longum, latum & profundum esse, non possunt transferri in substantias immateriales & simplices; ita nec facultates substantiarum immaterialium & simplicium transferri possunt in substantias materiales. DEUS, quem Cowardus admittit, est substantia simplicissima, in quam neque longitudo, neque latitudo, neque divisio, neque motus transferri potest; hæ enim proprietates supponunt substantiam materialem & compositam. Sic nec facultates intelligendi, judicandi, volendi, aliquid libere agendi &c. transferri possunt in corpus; sed supponunt substantiam aliam simplicem & immaterialem. 2) Advertendum est, existentiam creaturæ simplicis & immaterialis, quæ intelligere, velle & libere agere potest, non involvere contradictionem; DEUS enim omnium confessione est substantia simplex & immaterialis, quæ intelligit, vult, resque libere producere & movere potest. Qui talem DEUM admittit, eum admittere oportet possibilitatem creaturæ simplicis, spiritualis, immaterialis, quæ potest intelligere, velle, libere agere &c. 3) Cognoscimus evidenter, ex materia non prodire intellectiones, volitiones, motus liberos &c. imo cognoscimus materiam ad cogitationes esse ineptam; unde inferimus: cogitationes non esse trans-

latas

latas in materiam. 4) quando Cowardus demonstraverit, qua ratione facultas intelligendi prodit ex circulatione sanguinis, vel quomodo illa transferri possit in materiam; concedemus, ejus sententiam esse probabilem. Tunc vero feliciter hoc demonstrasse existimabitur, cum demonstraverit, molendinum vel aliam machinam æque aptam esse ad cogitationem rerum Mathematicarum ac Copernicum. 5) Cum DEUS animam Adamo inflasse dicitur, Gen. II. 7. non significatur, animam esse accidens materiæ, sed indicatur: 1) animam non esse ortam ex terra uti corpus; 2) animam à DEO non esse factam ex materia uti corpus, sed alio modo creatam; 3) animam cum corpore unitam hominem reddere vivum, additur enim: *Et Adam factus est in animam viventem*, i. e. factus est homo vivens, de quo infra plura dicentur.

XII.

Sunt alii, qui putant intelligere & velle esse aliquid compositi ex figura & motu, quale quid sunt colores, soni & gustus. Hinc dicunt: uti in corporibus colores, soni & gustus sunt qualitates compositæ ex figura & motu; sic intellectiones & volitiones sunt qualitates compositæ ex figura materiæ ejusque motu. Sed respondemus, 1) colores, sonos & gustus &c. non esse qualitates compositas ex figura & motu; manifestum enim est, illas qualitates non esse in rebus ipsis, sed in nobis, qui colores videmus, sonos audimus, gustus percipimus. 2) Non concedimus, qualitates illas esse compositas ex figura & motu, sed asserimus, quod omnes fatentur, eas esse perceptiones mentis; ubi enim nulla est anima percipiens, ibi non est color, neque sonus, neque gustus. Figuræ & motus sunt tantum causæ, quibus præsentibus anima immaterialis colores, sonos & gustus percipere solet.

XIII.

XIII.

Qui dicunt: cogitationes humanas esse meros materiæ motus locales, eos oportet confiteri, homines esse meras machinas. Renatus des Cartes docuit animalium sensus esse motus locales, & simul fassus est, bruta animalia esse meras machinas. Ubi enim meri motus locales sunt, ibi mera est machina. Qui vero palam proficetur, se meram esse machinam, cum eo non est disputandum: quis enim machinam ratiocinando cohibeat? Intelligere & velle non est facultas, quæ ex materia prodire potuit; ex figura enim & motu nunquam fit intelligendi facultas. Si intelligere, meditari, numerare, de rebus iudicium ferre sunt proprietates materiæ; sequitur lapidem tam aptum esse ad contemplationes Astronomicas, quam optimus Mathematicus: nam inter proprietates corporis & cogitationes est eadem disparitas, quæ inter proprietatem lapidis & scientiam mathematicam invenitur. Perpende, in quas absonas opiniones incidant Philosophi, qui animæ nostræ spirituales & immaterialem substantiam denegant.

XIV.

Vidimus, ex materia nullas prodire perceptiones, neque volitiones, neque distinctiones, neque iudicia &c. Inquiramus accuratius, qualis illa res sit, quæ in nobis percipit, distingvit & iudicat &c. Quia cogitationes non prodeunt ex materia, sequitur substantiam in nobis cogitantem esse immaterialem, i. e. ex nullis particulis compositam, simplicem & spirituales. Nam inter rem materialem, quæ composita est ex particulis, & rem immaterialem vel simplicem, quæ ex nullis particulis composita, non datur tertium. Afferendum ergo erit, rem in nobis cogitantem esse substantiam simplicem, spirituales & immaterialem, h. e. tota natura à materia differentem.

N

XV. Si

XV.

Si substantia immaterialis natura sua differt à materiali substantia, actusque intelligendi & volendi non prodire possunt ex materia, porro sequitur: animam non subjectam esse legibus mechanicis, animæque operationes non fieri necessario, nec dependere ab antecedente actione mechanica, sed esse liberas. Ignis ardet in fornace necessario & secundum leges mechanicas, nescitque, quo fine ardeat. Sed homo scribit literas, non necessario, aut secundum leges mechanicas, sed libere, & cognoscit finem, propter quem scribat. Ipsa experientia testatur, nostras cogitationes præsentis non necessario dependere à præcedentibus, quod fit in actionibus machinæ. Homines enim libere eligunt finem, seligunt media ad illum ducentia, operasque suas ad finem constitutum dirigunt & provehunt; nihil horum invenitur in materiali machina secundum leges mechanicas mota. Materia immota jacet, quamdiu ab alio non movetur, sed mota ab alio necessario movetur, ejusque motus impressus non est actio, sed passio. Substantia vero immaterialis habet ex se ipsa movendi, volendi & agendi potentiam, unde sequitur, animæ actiones non subjectas esse legibus mechanicis.

XVI.

Quidam Philosophi, inprimis Pythagoræ & Platonis affectæ putarunt, animas immateriales creari cum quadam subtilissima materia, quam vehiculum animæ appellarunt. Sic Proclus super Timæum L. V. p. 290. *Quamvis animam oportet habere, ante hæc mortalia corpora, æterna & facile mobilia corpora, quorum essentia est movere.* Tale subtile corpus nuncuparunt etiam ὄχημα vehiculum animæ. Quidam appellarunt illud εἰδωλον imaginem & σποδῆν, & docuerunt: animam in

:nor-

morte deponere saltem crassum corpus, non vero subtile; seu id, quod imaginem appellarunt. Tradiderunt quoque, imaginem animæ cum ipsa anima transire in infernum. Conf. Cudworth Intellectual Systeme L. I. ch. V. p. m. 783. seq. & p. 864. seq. Inter hodiernos Philosophos Leibnizius statuit: animam ab omni materia nunquam separari. Hinc dixit: *non modo animam esse indestructibilem, verum etiam animal ipsum, quamvis machina ipsius (i. e. corpus ipsius) saepe ex parte pereat, & involucra organica linquat vel capiat, A&.* Erudit. Suppl. Tom. VII. Sect. XI. p. m. 512. Idem inde quoque statuit: *non dari animas prorsus separatas, atq; ideo etiam nullas dari generationes, nec mortes perfectas, rigoroſe loquendo.* Ibid. p. 511. Sed posito, hominem in morte tantum crassum corpus abjicere, & post mortem retinere materiam aliquam subtilem tanquam vehiculum; illi tamen vehiculo facultas intelligendi, volendi, libere agendi &c. inesse non potest. Subtilis enim materia æque inepta est ad perceptiones ac crassa. Plura vid. in Biblioth. Chois. T. VIII. p. 43. sqq.

XVII.

Ostendendum quoque est animam esse fundamentum personalitatis. Persona definitur à Bòethio, naturæ rationalis individua substantia. Licet homo constet duabus partibus maxime differentibus, anima & corpore, non tamen duplici constat personâ vel supposito; sed est unica persona. Fundamentum personalitatis non est in corpore, sed in anima, quæ corpus in se assumptum sustentat. Uti annulus plures claves sibi annexas sustentat; vel, uti magnes virtute suâ plures ferri particulas attractas tenet, sic anima omnes corporis partes quasi annexas tenet & sustentat. Pars corporis animæ inhaerens vivit, sed eadem avulsa dissolvitur &

putrescit. Possunt minores corporis partes ab anima separari, quæ omnes putrescunt, animâ manente integrâ & salvâ. Corpus morbo vel vi aliâ destructum ab anima deseritur, & hæc secessio animæ à corpore mors appellatur. Anima post desertionem corporis manet integra, tuetur suam personalitatem, subsistit, est persona, sed immaterialis & spiritualis.

XVIII.

Animæ, quæ partes corporis abjecerunt, adhuc subsistunt; sed in sensus nostros non incurrunt. Demortuorum animæ subsistunt & vivunt coram DEO & spiritibus, non vero coram hominibus. Homines sentiunt animæ præsentiam per corpus vivum, quod in sensus nostros incurrit; sed non per ipsam animam, quæ immaterialis in nullos sensus incurrit. Homines itaque demortui nobiscum conversari non possunt, vivunt tamen & sunt personæ DEO præsentibus, & coram eo viventes. Hoc Salvator Saducæos docuit, defunctorum vivam subsistentiam negantes. *Nonne legistis, inquit, quod nobis dictum est à DEO dicente: Ego sum DEUS Abraham, & DEUS Isaac & DEUS Jacob, DEUS non est DEUS mortuorum, sed viventium, Matth. XXII. 31. 32. Et Lucæ XX. 37. 38. DEUS non est mortuorum, sed vivorum, omnes enim vivunt ei (vel coram eo.)*

XIX.

Dicis, corpus post mortem dissolvitur & destruitur, inque terram redit, ex qua assumptum est; fortasse dissoluto corpore anima quoque dissolvitur & redit, unde venit. Respondemus, corpus compositum est ex variis particulis, & in easdem post mortem dissolvitur; sed anima non composita, sed simplex est, ideo in nullas partes dissolvi potest, quia nullas habet, quod supra vidimus. Uti vero corporis nostri
par-

particulæ dissolutæ non intereunt, aut annihilantur, sic anima nostra à corpore soluta non interit, non annihilatur, sed manet superstes. Materiales particulæ, productæ sunt potenti DEI jussu & imperio, & non nisi ejusdem potenti imperio annihilari & interire possunt. Eodem modo animæ voluntate DEI potenti creatæ, non nisi eadem voluntate annihilari possunt. Nullus morbus nullaque vis extetna animam simplicem & immaterialem dividere aut destruere potest. Confirmat hoc Salvator, *ne timete vobis*, inquit, *ab iis, qui trucidant corpus, animam autem non possunt trucidare, sed timete potius eum, qui potest & animam & corpus perdere in gehenna.* Matth. X. 28. Et Salomon in Coheleth cap. XII. 7. scripsit: *revertitur pulvis ad terram, sicut fuit; spiritus autem revertitur ad DEUM, qui dedit eum.*

X X.

Anima post corporis abjectionem non solum superstes est, sed etiam facultates intelligendi, volendi, judicandi, audiendi, dolendi retinet. Supra vidimus facultates illas non posse esse in materia, sed eas necessario animæ esse adscribendas, cui inhæreant, à sapienti & potenti DEO communicatas. Corpore itaque destructo, destruuntur sensuum organa, per quæ anima nihil amplius percipit, manet vero percipiendi, intelligendi, volendi facultas, quæ animæ propria est, nec per solutionem corporis aufertur. Unde sequitur animam post desertionem corporis, percipere, intelligere, velle, gaudere, dolere, pro ratione objectorum eam efficientium. In hac vita anima percipit, quæ per sensuum organa fuerunt suggesta, post mortem anima immediate sine organis percipiet, quæ sunt obvia. Quæ Socratis de perceptionibus animæ à corpore solutæ fuerit sententia, explicat Stanlejus Part. III. cap. V. Sect. I. p. m. 117. Afferuit

Socrates: *bonorum post mortem animas beatitudine frui, cum DEO in loco jucundo, & ad quem accessus mortalium nemini pateat, conjunctas: malas in locis convenientibus pœnis promeritis affici.* Confirmat perceptiones animarum à corpore solutarum ipse Salvator, exemplis divitis damnati & Lazari beati, quorum alter in cœlo, alter in inferno, diversas habuit perceptiones. Matth. XVI. Paulus in cœlum raptus, habuit perceptiones, 2. Corinth. XII. 2. 3. 4. Idem docuit, nos posse absentes à corpore, & DEO præsentem esse, i. e. animas nostras deserere corpora, & vivere coram Domino, 2. Cor. V. 8. 9. 10.

XXI.

Hucusque consideravimus animam, & monstravimus eam esse substantiam simplicem, spiritualementem & immaterialem, & sic delineavimus speculum, in quo DEUM videre constituimus. Antequam ad has contemplationes procedamus, necesse est præmittere cautelas, quæ in hujus speculi inspectione & DEI contemplatione observandæ sunt.

XXII.

Cautela prima est: perfectiones, quas in anima cognoscimus, esse in gradum eminentissimum elevandas, antequam DEO adscribantur, v. g. est in anima facultas intelligendi, volendi, libere agendi, quæ in eminentissimum gradum extollenda & tunc demum DEO adscribenda. DEUS enim Creator omnes facultates possidet, in eminentissimo gradu, quas in anima conspiciamus. Cautela secunda est: quas DEO tribuere volumus perfectiones, eo usque esse elevandas, ubi cum reliquis DEI perfectionibus conspirant, v. g. est in anima misericordia, quæ si in eum gradum elevetur, ut Justitiam excludat, DEO non est adscribenda, quia impugnat Justitiam. Tales saltem perfectiones DEO, tribuendæ sunt,
quæ

quæ alias perfectiones non destruunt. Cautela tertia est: animæ proprietates, quas DEO adscribimus, ita esse elevandas, ne contradictionem involvant, v. g. est in anima facultas varia faciendi, quæ si in tantum gradum elevetur, ut impossibilia complectatur, DEO non est tribuenda. Facultas, quæ factum infectum reddere potest, non est perfectio, sed contradictio. Cautela quarta est, esse in anima imperfectiones, quæ à DEO procul removendæ; qui enim DEO unam imperfectionem adscribit, ille ejusdem perfectionem essentialem destruit, v. g. est in anima humana inclinatio ad injustitiam, mendacium &c. quales inclinationes DEO non sunt adscribendæ, quia imperfectiones sunt. Scriptura S. tales imperfectiones à DEO removet, v. g. Rom. IX. 14. *Quid igitur dicemus: num in justitia est apud DEUM? absit. Gen. XVIII. 25. Absit à te, ut occidas justum cum injusto; ut justus sit, uti impius, absit à te. Num judex universæ terræ non faciat judicium justum?*

XXIII.

Objiciunt quidam: DEO non posse adscribi proprietates animæ, quia proprietates creaturarum materialium ei non adscribuntur, v. g. creaturæ materiales sunt figuratæ, divisibiles &c. quæ proprietates in DEO esse non possunt. Resp. Distingvendum est inter proprietates immaterialium & materialium creaturarum. Figuratum, divisibile, mobile esse, sunt proprietates materialium creaturarum, quæ accurate consideratæ non perfectiones, sed imperfectiones sunt. Sunt illæ qualitates negativæ & puræ negationes, indicantque res creatas esse limitatas. Tales possunt à Creatore omnipotenti dari creaturis materialibus, licet non sint in ipso Creatore. Figuræ corporum consideratæ, quatenus à DEO productæ sunt, indicant DEI potentiam, sapientiam, boni-

bonitatem. Sed figuræ consideratæ, tanquam materiæ modificationes & limitationes, indicant materiam esse finitam, spatio comprehensam, & eatenus sunt imperfectiones, quales DEO perfectissimo non adscribendæ. Animæ perfectiones sunt diversæ naturæ. Intelligere & velle sunt facultates substantiæ immaterialis & perfectiones positivæ, neutiquam vero puræ negationes. Hæ Creatori insunt, & si non inessent, quæritur, unde ortæ? Certe non sunt ab ente materiali, quod non cogitat. Si non à materiali, certe ab ente immateriali erunt. Inter materiale enim & immateriale non datur tertium. Sunt ergo intelligere & velle perfectiones animæ ab independente Creatore productæ, cujus reliqua opera sine intellectu & voluntate prodire non potuerunt.

XXIV.

Præmissis cautelis accedimus ad primam animæ contemplationem, eo fine instituendam, ut DEUM cognoscamus. Certi sumus, animas in hoc mundo existere; experientia enim docet, existere substantias, quæ intelligunt, volunt, quæ finem sibi proponunt, & media seligunt, quæ gaudent & dolent &c. quas actiones ex animabus prodire novimus. Nemo dixerit, animas illas extitisse ab æterno, quia absurdum. Nec quisquam statuerit, animas illas proditisse ex statu nihili in statum existentia sine omni causa efficiente; impossibilitatem enim quivis percipit. Necessè itaque est, ut statuamus: existere aliquod ens, quod animas illas creavit. Quam certo ergo scimus, nos cogitare, intelligere & velle &c. tam certum est existere animas. Quam certo vero existunt animæ, tam certo existit Creator, à quo dependent, vel in quo existentia suæ rationem habent.

XXV.

Si scire cupias, qua ratione anima nostra à DEO creata sit,

fit, fatemur, rationis lumen eam non explicare, Scripturam
 verò Sacram illud mysterium quodammodo tradere. Gen.
 II. 7. legimus, *DEUM inflasse Adamo animam*. Inde agnosci-
 mus: 1) animam non esse productam ex terra uti corpus;
 dicit enim Moyses: *DEUM formasse Adamum pulverem ex*
terra. Gen. III. 19. & deinde subjicitur: *DEUM inflasse*
Adamo spiraculum vitæ, ut fieret anima vivens, i. e. homo
vivens. Ex hoc constat, *DEUM* creasse Adami corpus ex
 terra, animam vero ex terra non esse productam. Ex iisdem
 verbis constat: 2) animam esse respirationis & vitæ nostræ
 causam; formatum enim corpus ex terra jacuit immobile,
 post inflatum animæ respiratio omnesque vitales motus orti
 sunt. Hoc sensu dicit Jobus cap. XXXIII. 4. *Spiraculum*
Omnipotentis vitam dedit mihi. Prov. XX. 27. dicitur: *Lu-*
cerna DEI est spiraculum hominis, i. e. spiraculum seu anima
hominis est lucerna DEI, quæ interiora scrutatur. Ex iisdem
 verbis patet 3) *DEUM* animam & corpus uniisse per affla-
 tum, ubi unitionis actus afflatus appellatur. Nemo dixerit:
DEUM proprie afflasse Adamo, & sic inspirasse animam;
 absit: *DEUS* non est homo, qui corpori afflat & inspirat
 animam. Qui ex his probare volunt, animam ex *DEO* esse
 productam, illi afflatum vel inspirationem metaphoricam
 in propriam convertunt, & errorem incurrunt maxime no-
 xium: *DEUM* esse divisibilem, & animam partem ab eo
 abscissam. Superest ergo, ut statuamus, inspirare animam,
 esse animam corpori immittere, & cum corpore unire.

XXVI.

Progrediamur ad secundam animæ contemplationem;
 supra vidimus animam esse substantiam spirituales, simpli-
 cem & immaterialem, quæ non uti materia, ex particulis est
 composita. Novimus autem immaterialitatem, simplicitatem

O

tem

tem & spiritualitatem esse perfectionem; materialitatem autem esse imperfectionem; materialis enim substantia est limitata. Novimus porro, animam esse à DEO creatam, vel suæ existentiae rationem in DEO habere. Cognita itaque animæ simplicitate, spiritualitate & immaterialitate, cognoscimus DEI simplicitatem, spiritualitatem & immaterialitatem.

XXVII.

Constat DEI simplicitas & immaterialitas ex DEI infinitate & immensitate. Ponamus, extra DEUM existere substantias materiales, sensibus obvias. Ponamus porro, duas substantias materiales in uno eodemque loco simul esse non posse. Inde apparet, si DEUS esset materialis, eundem in multis locis à substantiis materialibus excludi, adeoque esse finitum & variabilem. Eadem simplicitas & immaterialitas DEI constat quoque ex scientia & sapientia DEI. Uti anima sciens & sapiens non potest esse substantia materialis & ex partibus composita, ut supra vidimus; sic DEUS omniscius & sapiens non potest esse substantia materialis. Patet quoque DEI immaterialitas ex libertate. Substantia materialis movetur necessario secundum leges mechanicas. Si DEUS esset materialis non esset ἀνεξέστος, non haberet potestatem libere agendi. Si vero immaterialis vel spiritualis est DEUS, liberrimus erit, nullisque fati legibus obnoxius.

XXVIII.

Accedamus ad tertiam animæ contemplationem, & ex intellectu nostro tanquam notiori cognoscamus DEI intellectum. Experimur in nobis facultatem varias res cognoscendi, sed eandem triplici modo limitatam. Nam 1) non cognoscimus omnes res, sed paucas admodum nobis propinquas & in sensus nostros incurrentes, ex quibus alia cognoscimus;

scimus; 2) quas res cognoscimus, successive cognoscimus, plures enim res pluribus & successivis actibus intelligimus; 3) quas res successive cognoscimus, admodum confuse, pauca distincte, plurima obscure cognoscimus. Sic nostra intelligendi facultas limitata est. Ex nostro intellectu imperfecto perfectissimum **DEI** Intellectum cognoscimus. Quam **DEUS** dedit intelligendi facultatem, merito perfectionem & excellentiam cognominamus. Est itaque in **DEO** intelligendi facultas, sed perfectissima, nullisq; limitibus inclusa. Quando nostram intelligendi facultatem limitatam cum infinita & perfectissima **DEI** facultate comparamus, cognoscimus 1) **DEUM** omnes res cognoscere, sine ulla limitatione; 2) **DEUM** omnes res cognoscere non successive, sed uno simplici actu; **DEUS** enim res præteritas, præsentis & futuras uno intuitu cognoscit, uti nos rem præsentem cognoscimus; 3) **DEUM** omnes res non obscure, non confuse, sed distincte & clare cognoscere, omniumq; rerum abditæ & intima intueri perfectissime. Illam intelligendi facultatem **DEUS** brutis animalibus denegavit, & soli homini dedit, in eum imprimis finem, ut summum Creatorem cognoscat & celebret.

XXIX.

Nisi **DEUS** animæ humanæ talem intelligendi facultatem dedisset, nemo cognosceret **DEUM** omnia scientem. Inter visibiles creaturas eminet homo, qui omniscium Conditorum cognoscere, & verbis coram aliis hominibus declarare potest. Notio, quam de **DEI** intellectu homines habent, est quidem clara; scimus enim **DEUM** simul & distincte cognoscere, attamen non est adæquata, quia non cognoscimus distincte, quomodo **DEUS** res omnes simul & distincte cognoscat. Certo itaque cognoscimus, **DEUM** omnes

res, omniumque rerum intimos recessus intueri; scimus imprimis DEUM omnes nostras cogitationes, consilia, intentiones arcanas perfecte nosse; caveamus itaque, ne quid cogitemus aut agamus, quod DEO displicere noverimus.

XXX.

Instituamus quartam animæ contemplationem, ut intelligamus ejus facultatem libere agendi, ex eaque cognoscamus DEI summi Creatoris libertatem. Existimo quemvis hominem, qui se ipsum intuetur, esse persuasum, se liberam agendi facultatem possidere; quivis enim se ipsum, manus pedesque commovere potest pro lubitu, quivis quoque scit, se corpus extraneum movere posse. Huic experientiæ continuæ magnam probationis vim adscribo, eamque non defero, nisi demonstratione formali, quæ impossibilitatem absolutam docet, coactus.

XXXI.

Experientia testatur hominem se ipsum suasque manus libere movere. Hodie inter eruditos quæritur, utrum illud principium agendi, vel illa facultas corpus movendi sit in homine, an vero extra hominem? Si illa facultas est in homine, homo erit ens libere agens, si illa facultas movendi est extra hominem, homo erit agens necessarium, quia ab alio movetur.

XXXII.

Si homo movetur ab extra, movebitur vel à quadam subtili materia, vel ab alia substantia quadam. Si homo movetur à materia subtili, sequitur hanc subtilem materiam moveri ab alia, & hanc denuo ab alia, donec tandem ponatur quædam substantia libere agens, qualis immaterialis esse debet. Sic habes substantiam immaterialem & libere agentem, Ergo facultas libere agendi est possibilis; ergo & possi-

possi-

possibile est, animam nostram talem libere agendi facultatem possidere. Adjunge nunc experientiam possibilitati, habebis argumentum firmum, quo animæ nostræ facultas libere agendi vel movendi attribuitur.

XXXIII.

Dicis: licet homo moveatur à principio interno, nempe ab anima, non tamen sequi, animam habere facultatem libere agendi, quia variis motivis vel rationibus ad agendum movetur. Resp. anima habet facultatem motiva vel rationes oblatas considerandi & approbandi, habet eadem quoque facultatem, eadem motiva vel rationes rejiciendi, v. g. fur potest pœnam furibus indictam considerare, & vi hujus considerationis se à furto retrahere; sed potest quoque fur pœnam consideratam contemnere, & furtum committere. Utrumque est in furis facultate.

XXXIV.

Qui dicunt, homines pœnis & præmiis uti horologia ponderibus moveri, illi negant, in regimine mundano justos & injustos esse, bonos & malos homines; illi tollunt omne virtutis externæ studium, negantque ullos homines, etiam regenitos DEO placere vel displicere. Sed magna est differentia inter horologia & homines. Homines consciis sunt actionum, quas agunt, horologia non. Homines cognoscere possunt præmia & supplicia, non vero horologia.

XXXV.

Dicunt quidam: qui homini adscribit agendi libertatem, eidem adscribit independentiam, facultas enim libere incipiendi actionem, involvit independentiam. Resp. adscribimus homini libertatem agendi à DEO communicatam & ab ejus voluntate dependentem. Dat DEUS eam pro libera sua voluntate, extendit eam limitatq; eam quousq; vult, aufertq;

O 3

eam.

eam pro eadem libera voluntate. Talis agendi libertas nullo modo involvit independentiam. Uti intellectus humanus non involvit omniscientiam, sic agendi libertas non involvit independentiam.

XXXVI.

Quæritur: utrum agendi libertas sit perfectio? Resp. quidam negant, existimantes, perfectionem esse, necessario agere. Dicunt: homines libere agentes sine ratione agere, & aliter judicare, quam rei evidentia postulat. Pergunt: Libere agentes negare, illud verum esse, quod evidenter ut verum apparet; & affirmare, quod evidenter falsum apparet. Resp. negando, homines libere agentes sine ratione agere. Homines possunt verum affirmare & falsum negare, & simul libere agere. Judicare & agere sunt diversæ actiones. Agere est ex principio agendi, quod liberum; judicare est ex principio judicandi, quod necessarium. Principium judicandi comitatur quidem principium agendi, sed inter utrumq; non est nexus causæ & causati. Video meliora proboque, sed deteriora sequor. Facultas intelligendi non est causa efficiens actionis, sed facultas agendi, quæ libera. Sic facultas agendi distincta à facultate intelligendi, manet perfectio,

XXXVII.

Dicunt: Libertas agendi non est perfectio, quia homo eadem utens, se miserum reddere potest. Resp. Uti existentia & vita hominis hominem miserum reddere potest, sic etiam libertas hominem miseræ subicere potest. Uti vero existentia & vita perfectiones sunt, sic libertas agendi etiam erit perfectio. Beneficentia est perfectio & tamen hominem reddere potest miserum. Si libertas agendi non est perfectio, truncus perfectior erit homine.

XXXVIII.

XXXVIII.

Fatemur, libertatem agendi in præfenti hominum ftatu effe 1) maxime limitatam. Objecta libertatis noftræ funt a) naturalia pauca, quæ ad vitam degendam funt neceffaria & utilia, v. g. laborare, manducare, ambulare, federe, meditari, fcribere, &c. ß) moralia quædam, & faltem quæ ad externam iuftitiam & honeftatem fpectant; γ) artificialia quædam, quæ ad artes pertinent, v. g. ædificare domum, difcere artes, &c. Hæc naturali libertati fubjecta funt.

XXXIX.

Humanæ vero libertati fubjecta non funt α) fpiritualia, quæ rationis captum fuperant, & naturæ lumine nec inveftigari nec intelligi poffunt. Qualia funt incarnatio Filii DEI, fatisfactio pro peccatis generis humani, remiffio peccatorum, fides in Chriftum &c. Quæ objecta dicuntur fpiritualia, quæ humana ratio non capit, nifi divino Spiritus S. lumine coluſtrata. Sic humanæ libertati fubjecti non funt ß) motus fpirituales, fides in Chriftum, veri DEI amor, pietas, caſtitas, patientia, & qui alii funt fpirituales actus. Hæc naturali libertati non funt fubjecta propter *ἀδυναμίαν* & carentiam omnium fpiritualium virium, propter quarum defectum animalis homo non percipit, quæ funt Spiritus DEI nec ea capere poteft 1. Cor. II. 4. Præter fpiritualia, quam plurima alia naturalia fuperfunt, nullius hominis libertati fubjecta, v. g. abigere morbos, volare, fuper mare ambulare, & quæ alia plurima aliis creaturis poffibilia.

XL.

Eft etiam libertas noſtra 2) maxime corrupta, adhæret enim illi inclinatio ad malum; videmus meliora probamusque, fed deteriora fequimur. Intellectus iudicium, quod agendi libertatem comitatur, frequenter alia præſcribit,

bit, sed libertas agendi illi non semper obsequitur. Denique
 3) humana agendi libertas est successiva, non enim uno
 momento, sed successive suas actiones producit.

XLI.

Nunc à consideratione libertatis humanæ adscendamus
 ad libertatem DEI. Vidimus exiguam esse hominum agendi
 libertatem, vidimus quoq; eam esse perfectionem, inde in-
 telligimus, eam homini à Creatore esse datam, ergo DEO
 inest in gradu eminentissimo & ineffabili. Summus Conditor
 debet esse liberrimus, quia libertatem aliqualem hominibus
 dedit; uti facultas cognoscendi & ratiocinandi homini à DEO
 data est, sic eidem libertas potuit communicari; actu vero eam
 communicatam esse, experientia cujusvis hominis testatur.

XLII.

Ut liberrimam agendi potestatem in DEO accuratius
 cognoscamus, adspiciamus cœlos. Numerus planetarum non
 est necessarius, neque motus eorum, nulla prostat ratio, quæ
 numerum & motum planetarum necessarium reddat. Motus
 circa axin posset esse celerior aut etiam tardior. Motus pla-
 netarum progressivus, cursus eorum ab occidente ad orien-
 tem est res libertatis, procedens à sapientia DEI, quæ eum
 elegit, & à voluntate, quæ eum imperavit. Convertamus
 oculos in terram, & videamus plantas & animalia. Nulla
 apparet absoluta necessitas, quæ doceat, tantum saltem
 necessario esse debere plantarum & animalium numerum,
 vel tot saltem plantarum & animalium species.

XLIII.

Spinoza ejusque affectæ DEI libertatem in necessita-
 tem absolutam convertunt, DEUMque libertate privant.
 Testis est propof. 33. L. I. Eth p. m. 29. *Res nullo alio modo.*
inquit, neque alio ordine produci à DEO potuerunt, quam

pro-

productæ sunt. Sed quis dixerit, ne minimas quidem rerum creatarum circumstantias aliter existere potuisse, quam re vera existunt. Nulla sane apparet contradictio, si dicamus, res creatas potuisse aliter existere, quam existunt.

XLIV.

Constat quoque libertas DEI, si consideremus, res creatas ita esse conditas, ut certis finibus inserviant. Oculus factus est, ut videat, manus ut agat, arbor ut fructus ferat. Est ergo in mundo Creator, qui in creatione respexit fines creatarum rerum. Ubi vero Agens est, quod certos fines respicit, ibi est Ens libere agens, & non absolute necessarium. Qui hoc argumentum negant, non habent, quo se recipiant, sed coguntur statuere fines rerum esse figmenta. Sic Spinoza l. c. in Append. ad Prop. 36. p. m. 36. *Natura finem nullum sibi præfixum habet, & omnes cause finales, humana sunt figmenta.* Spinoza ergo non statuit, oculum ad visum, & pedes ad ambulandum esse conditos.

XLV.

Dicunt quidam: DEUM semper agere, quod optimum, ergo eum necessario agere. Resp. Dum DEUS agit, quod optimum est, non physice cogitur ab illo optimo ad agendum, sed eligit illud optimum libere. Uti causæ finales nullum habent influxum physicum in rerum productionem, sic nec optimum à DEO prævisum influxum physicum habet in ipsam rei productionem. Distinguendum est inter necessitatem physicam & convenientiæ. Necessitas convenientiæ optime consistit cum libertate agendi, non vero physica. Hæc fusius prosecuti sumus, quia hoc tempore plures circa libertatem controversiæ motæ sunt.

XLVI.

Instituamus novam & quintam animæ contemplationem,

P

nem,

nem, ut intelligamus DEUM esse materialis mundi motorem. Indubia experientiae fide constat, animae voluntatem agere in corpus, & corporis sensationes in animam. Quando enim anima vult, ut manus scribat, ea scribit; vel ut pes ambulet, ille ambulat; & quando sonus est in aure, audit anima, & quando imago arboris est in oculo, videt oculus &c. Hæc vero animæ actio in corpus est admodum limitata; multi enim motus fiunt in corpore, qui non dependent à voluntate, v. g. circulatio sanguinis, &c. nec omnis motus in sensibus factus percipitur ab anima, eo maxime tempore, quando animæ meditatio in aliam rem est directæ.

XLVII.

Philosophi admodum felicitati fuerunt in inveniendâ ratione, qua illud animæ & corporis commercium fiat. Aristoteles putavit in anima esse vim agendi in corpus actione physica, unde natum est systema influxus physici. Cartesius rejicit systema influxus physici, quia non percipere potuit, qua ratione commercium animæ & corporis explicari possit. E contrario docuit, DEUM legem quandam fancivisse, ut determinatas perceptiones animæ, motus quidam determinati spirituum animalium in cerebro sequantur; & vicissim, ut quosdam determinatos spirituum animalium motus in cerebro, sequantur determinatæ quædam perceptiones in anima, quam hypothesein systema assistentiæ & causarum occasionalium nominarunt. Cum denique Hugenius doceret, in conflictu corporum, non solum eandem virium quantitatem, sed etiam summatim eandem directionem conservari; putavit Leibnizius, in systemate causarum occasionalium vel assistentiæ, violari legem tam conservatæ virium quantitatis, quam directionis, quia supponitur

nitur

nitur DEUS immediate directionem motus mutare; propterea excogitavit systema Harmoniæ præstabilitæ.

XLVIII.

Systema Harmoniæ præstabilitæ tradit: animam non à corpore, sed à se ipsa determinari, ad suas perceptiones producendas, v. g. quando arboris idea ab extra in organum visus introducitur, tunc idea arboris materialis non producit in anima perceptionem arboris, sed anima eandem ex se ipsa producit. Porro, idem systema tradit: animam suas perceptiones & volitiones ex se ipsa productas, non transferre in corpus, sed mundum materialem secundum leges causarum efficientium producere ideas materiales & actiones in corpore, v. g. si voluntas vult, ut manus scribat, vel ut pes ambulet, tunc mundus materialis manum ad scribendum & pedem ad ambulandum movet. Verbo: supponitur in hac hypothese, possibile esse, ut corpus producat motus, qui mentis voluntati liberæ harmonice respondeant. Vel: supponitur, animam carere facultate determinandi directionem spirituum animalium, ut influant in musculos, qui motus directos producant; sed corpus decreta animæ libera exsequi ex structura sua, secundum regulas motus.

XLIX.

Sed in hac hypothese sumuntur quædam admodum difficilia. Sumitur 1) animam certa serie suas perceptiones producere secundum leges Logico-morales. Ut hæc perceptionum series sequatur; Leibnizius statuit, animam esse avtomatum spirituale, quod mechanice producit pulchros effectus. Suponit, animam per præformationem divinam producere egregias ideas, in quibus voluntatis nullæ sunt partes. Conf. Theod. P. III. §. 403. p. m. 603. Sed licet anima perceptiones multas secundum leges Logico-morales

ex seipsa producat, plures tamen cogitationes per sensus suggeruntur, cujus rei possibilitatem ostendimus. Nec placebit omnibus animam esse avtomatum spirituale præformatum à DEO, ut actiones suas necessario producat, sic enim anima fit passiva. Præformatio animæ, ut ea agat, quæ DEUS eandem acturam esse prævidit, non placebit Theologis omnibus. Sic enim actiones hominum ex præscientia divina infallibiles, etiam fiunt inevitabiles. Libertatem agendi, stante illa hypothese, homines in DEI prævisione saltem habuisse supponuntur, in præsentis vero vita plane nulla erit. Nec apparet, qua ratione homines in hac vita pravas actiones evitare, aut malis resistere possint. Nam permissio divina saltem negationem impedimentorum & auxilii importat. Tandem quoque non concipitur quæa ratione anima à lætitia ad dolorem & tristitiam sponte transcat, appetitus enim non sufficit.

L.

Sumitur in eadem hypothese 2) corpus secundum leges motus posse actiones producere, quæ liberis animæ decretis sunt harmonicæ. Hoc vero difficillime concipi ex exemplis patebit, v. g. Pictor libere decrevit imaginem pingere prototypo paulo elegantiolem. Nunc supponitur, mundum materialem, sine directione animæ, movere corpus & manum pictoris, secundum leges motus, ut pingat imaginem prototypo paulo elegantiolem. Eodem modo integra civitas ædificabitur mechanice, sine animæ in corpus influxu vel directione. Habemus hic effectus arte factos, qui indicant directorem sapientem, & secundum regulas artis agentem, qualis materialis mundi machina esse non potest. Hic producendæ sunt illæ leges motus, quibus manus pictoris & operariorum urbem ædificantium trahuntur; ut pin-

gant

gant necessario talem imaginem & ædificent urbem, sine ulla directione animarum humanarum.

LI.

Admisso utroq; supposito, animam nempe esse avtomatum spirituale, & corpus esse avtomatum mechanicum, sequitur totum hominem esse avtomatum. Confirmat consequentiam simile, quo illa hypothesis illustratur. Dicunt enim, animam & corpus esse, quasi duo horologia harmonica. Excipiunt quidem, DEUM prævidisse omnia, quæ anima libere decretura sit, & post prævisionem condidisse animam, ut ea decernat, & corpus, ut ea agat. Sed ex hoc quoque sequitur, hominem in præfenti vita nullam habere libertatem.

LII.

Missa itaque Harmonia præstabilita, retinemus vulgarem hypothesein: animam agere in corpus, & corpus agere in animam. Hæc hypothesis est possibilis, nec contradictionem involvit. DEUS enim substantia immaterialis agit in mundum materialem; & voces & actiones corporum humanorum percipit DEUS. Possibile ergo est, DEUM creare animam, quæ in corpus agere, & corporis motus percipere potest. Uti enim DEUS dedit intelligendi facultatem animæ, sic eidem dare potuit facultatem agendi in corpus actionemque incipiendi.

LIII.

Excipiunt quidam, nostrum systema adversari ordini naturæ: in conflictu enim corporum eandem conservari motus quantitatem. Sed Resp. celeberrimum Newtonum dedisse exempla mathematica, ex quibus constat, motum diminui & augeri continuo in quantitate, & non semper communicari aliis corporibus. Vid. Newtoni Optica p. 341. Neq;

hoc celeberrimus Leibniz. negavit. Vid. *Recueil de diverses pieces cinquieme Ecrit* §. 99. p. 135. Distingvit quidem inter motum & vires motus, conceditque motus quantitatem non eandem servari, sed saltem virium quantitatem. Clariss. Clarkius vero ostendit, nec virium quantitatem eandem manere, Conf. l. c. Cinqu. Replique de Mr. Clarke, p. 181.

LIV.

Dicis: nondum explicata est ratio, qua anima corpus movet. Resp. Etiam nondum constat ratio, qua corpus motum in motu suo continuatur. Motus est continua loci mutatio; qua ratione vero mutatio secundi momenti ex mutatione primi momenti sequatur, & quæ sit causa continuati motus, hucusque ignotum est. Conf. *Gravesande Physices Elem.* L. I. cap. XVI, p. 36. Interim principii loco sumitur à Mathematicis: corpus perseverare in statu movendi uniformiter in directum, nisi quatenus à viribus impressis cogitur quiescere. Si itaque hæc lex naturæ, cujus ratio ignoratur, principii loco sumitur; etiam, animam movere corpus, principii loco sumi potest, licet ejus ratio nondum constet. Ex hoc apparet, internam motus essentiam nondum satis esse cognitam.

LV.

Jure itaq; supponimus, animam agere in corpus actionesque incipere; & corporis nostri motus ab anima percipi. Inde intelligimus, DEUM, qui illam facultatem animæ dedit, etiam agere in materiam, & percipere motus, qui in materia fiunt. Ultra agnoscimus, nostram facultatem esse limitatam, multis enim nostri corporis partibus nihil imperare potest anima. Non imperat illa cordi, nec arteriis, nec stomacho, nec intestinis, licet manibus pedibusque &c. actiones quasdam imperet. Quando vero ad DEUM reflectimus,

agno;

agnoscimus illimitatam potentiam imperandi omnibus, & percipiendi omnia, quæ in universo mundo fiunt. Si dixeris: hanc movendi rationem esse supernaturalem, Resp. si hæc movendi ratio supernaturalis est, necesse est, ut omnes DEI actiones supernaturales dicamus, omnes enim eadem ratione peraguntur. Excipis, si anima eodem modo corpus suum movet, quo mundus à DEO movetur, sequitur, DEUM esse animam mundi. Resp. DEUS animam & corpus creavit & univit, ut sint unus homo. DEUS vero independens à nemine unitus est cum mundo, ut sit una substantia. DEUS est in mundo, non ut pars mundi, sed ut Dominus mundi. conf. Newtoni Principia Phil. Natur. L. III. p. m. 482.

LVI.

DEUM agere in materiam optime cognovit Capiteanus Capernaiticus Matth. VIII. 8. sqq. Adiit ille JESUM, ipsique retulit, servum suum ægrotare. JESUS annuit ejus precibus, dixitque se venturum in domum ejus & servum sanaturum. Excepit Capiteanus, se hoc honore non esse dignum: *Non sum dignus*, inquit, *ut tectum meum ingrediaris*, rogavitque, faltem verbum dicat; *dic modo verbum*, inquit, *servus meus sanabitur*. Cognovit, Christo datam esse divinam potentiam, quæ verbo omnes morbos sanare posset. Hanc suam sententiam illustrat simili ex regimine mundano desumpto. Subjicit enim: Ego sum homo, & Magistratui subjectus, nihilominus cum dico cuidam militi meo, abi, ille abit; & cum dico alii, accede, accedit: & cum dico servo meo, fac hoc, facit. Inde infert: Si meum verbum tantam habet efficaciam, quantam habebit verbum tuum; ergo dic modo verbum, & servus meus sanabitur. Hanc fidem Christus mirum in modum excolit, dicens: Talem fidem in Israel non inveni. Ex hac nostra hypothese, dixit Paulus Heb. XI. 3. *Fide intelligimus,*

COA-

coagmentata esse secula verbo DEI, i. e. verbo DEI omnipotenti creatum esse mundum. Hinc divus Psaltes: DEUS dixit, & facta sunt: ipse praecepit, & extiterunt, Ps. XXXIII. 9 Hæc fusius deducere placuit, quia nostra ætate sunt controversa.

LVII.

Progrediamur ad sextam animæ contemplationem, & cognoscamus DEI bonitatem ex naturali hominum obligatione ad mutuam charitatem. Homines obligatos esse ad mutuam charitatem naturali lumine constat. Homines enim cognoscunt 1) omnes homines esse proprios DEI servos, qui eos creavit & conservavit, inde intelligimus a) homines non esse lædendos b) eorum felicitatem potius mutuis charitatis officiis promovendam. Hæc communis hominum ad DEUM relatio est naturalis & vera, tam ante, quam post nostram cognitionem. Hinc etiam officia ex eadem relatione fluentia sunt perpetua vel æterna. Homines cognoscunt 2) esse quasdam in hominibus naturales inclinationes ad mutuam charitatem, quæ isti naturali relationi respondent. Homines enim si non prorsus omnem humanitatem exuerunt, aliis hominibus in miseris vel vitæ periculo constitutis succurrunt. 3) Memoriam exhibitæ charitatis comitatur laus & approbatio posterorum. Pessimi quoque homines tale factum audientes id suo calculo approbant. Homines 4) in se gaudium sentiunt, quoties se miseris succurrisse recordantur, & tristitiam, quoties id intermisisse reminiscuntur. Homines cognoscunt 5) ex mutua plurium hominum charitate oriri felicitatem humanam, uti ex conjunctione plurium punctorum lineam. Idem cognoscunt 6) hominem à DEO ita creatum esse, ut de actionibus malis rationem reddere possit. Hæc sunt vestigia mutux charitatis, naturæ ipsi à DEO impressa, quæ homines ad mutuam charitatem impellunt.

LVIII.

LVIII.

Ex his charitatis vestigiis, quæ DEUS hominibus impressit, cognoscimus DEI erga homines bonitatem. Uti hominum charitas est propensio & mentis dispositio ad benefaciendum aliis; sic in DEO cognoscimus propensionem omnibus hominibus benefaciendi, eorumque salutem procurandi. Hominum bonitas est exigua & in præsentis mundo fere extincta, sed divina bonitas in gradu eminentissimo est concipienda. Licet vero inter humanam & divinam bonitatem ineffabiles gradus sint, essentiali tamen notione conveniunt. Nisi DEI bonitas cum bonitate hominum essentiali notione conveniret, nemo intelligeret, quid sit divina bonitas.

LIX.

Bonitas est perfectio, adeoque DEO jure adscribitur. Bonitas est summa perfectio, & nullo modo ab Ente perfectissimo separari potest. Scientia & Potentia sunt etiam perfectiones, sed si eas sine Bonitate concipias, erunt imperfectiones. Angelus multiscius & potens, sine bonitate est diabolus. Bonitas divina omnibus divinis perfectionibus largitur excellentiam,

LX.

Philosophi fere omnes, si Epicuræos excipias, agnoverunt DEI bonitatem. Bonitas divina fuit fundamentum omnium religionum. Quicumque enim DEUM adorarunt, & ejus auxilia implorarunt, confessi sunt, DEUM esse bonum. Græci & Romani DEUM à bonitate denominarunt, & Ter Optimum Maximum nuncuparunt, Germanorum **Gott** à bonitate denominatur.

LXI.

Progrediamur ad septimam animæ contemplationem, & cognoscamus Justitiam DEI. Sunt quidam characteres humanæ naturæ impressi, ex quibus homines cognoscere possunt, se à DEO esse obligatos juste vivendum. Hi characteres sunt 1) quod homines cognoscere possint, & multi re vera cognoscant, omnes homines esse DEI creaturas, ejusque servos, ex quo intelligunt

Q

homi-

homines non esse lædendos ; 2) quod cognoscant , DEUM homines conservare , & iisdem quotannis alimenta largiri , ex quo intelligunt , DEUM velle , ut homines tranquille in mundo vivant ; 3) quod homines , qui has veritates cognoscunt , in se inclinationes sentiant , ad juste cum aliis vivendum , eosque , qui juste vivunt , laudent & approbent , quod etiam corruptissimi homines quandoque faciunt ; 4) quod memoriam juste factorum comitetur mentis lætitia , è contrario memoriam injuste factorum comitetur tristitia ; 5) quod homines cognoscant , neminem lædendo , & suum cuique tribuendo promoveri communem hominum tranquillitatem. Ex his characteribus naturæ humanæ impressis & ab hominibus cognoscibilibus intelligunt homines , juste esse vivendum , & injustos pœna dignos esse.

LXII.

Impressit DEUS ipse hominibus hos characteres , unde intelligimus DEUM , cum homines crearet , voluisse , ut juste vivant. Datur ergo æterna justitia , quæ omnes leges positivas antecedit. Datur lex justitiæ , antequam eam cognoscamus , manetque ea , quando eam non cognoscimus. Illi characteres sunt evidentes , & ab omnibus , qui volunt , cognosci possunt. Per illos characteres evidentes DEUS legem justitiæ naturalem hominibus promulgavit.

LXIII.

Ex præcedenti observatione patet 1) discrimen inter justum & injustum esse æternum , & dependere à voluntate DEI per characteres naturæ humanæ impressos promulgata ; 2) justum & injustum non dependere à solis pactis & legibus ab hominibus statutis ; 3) Antè pacta humana & leges humanas posse hominibus injuriam inferri. Secus sentiunt Hobbius & asseclæ , qui putant , ante pacta & leges nemini injuriam inferri. Sic ipse Hobbius de Libert. cap. 3. §. 4. pag. m. 28. *injuria nemini fieri potest , nisi ei , quocumq; inicitur pactum , sive cui aliquid dono datum est , vel cui pacto aliquid est promissum.*

Ex

Ex qua sententia sequitur, ante pacta & leges humanas, licere alterum impune interficere, non solum ob propriæ vitæ conservationem, sed pro lubitu. Ex eadem sententia infertur, innocentem occidere, & innocentis vitam conservare esse actiones moraliter æquales.

LXIV.

Ex Justitiæ characteribus animæ humanæ impressis, cognoscimus, DEUM ipsum esse justum. Est vero in DEO 1.) Justitia absoluta, quæ fundata est in convenientia Voluntatis divinæ cum natura perfectissima, quæ lex æterna vocari potest, quia est norma omnium agendorum, quæ DEUS extra se agit. 2.) In DEO est Justitia relativa, quam exercet erga homines, vel secundum quam DEUS cum hominibus agit. Hæc Justitia divina est a) legislatoria, qua DEUS leges sanxit suæ naturæ convenientes, b) Remuneratoria, qua DEUS bene & recte facta ex gratia largiter compensat. Hæc Justitia non ita est capienda, ac si homines aliquid mereri possent, quia omnes actiones etiam optimæ DEO debentur, sed quia DEUS suæ bonitatis & sanctitatis memor, recte facta compensat. c) Punitiva seu vindicativa, qua hominum delicta punit. Utramque Justitiam declarat Paulus Rom. II. 6. 7. *DEUS reddet unicuique secundum opera ipsius, ipsis quidem, qui juxta patientiam boni operis, gloriam & honorem & incorruptibilitatem quarunt, vitam æternam; iis vero, qui ex contentione sunt, & qui non credunt quidem veritati, obediunt autem injustitiæ, indignatio erit & ira.*

LXV.

Regrediamur ad animam nostram & instituamus ultimam contemplationem, plures enim addere rationem scopi nostri excedit. Præter facultates animæ nostræ observamus quoque peculiaris inventa & humano generi admodum utilia, quæ ab iisdem producta sunt. Quædam animæ peculiari sagacitate præditæ & tam felices fuerunt, ut plurima nova inventa, antea vel plane incognita, vel injuria temporum perditæ, produxerint, ho-

minum utilitati inservientia. Magna sane & admiranda fuerunt animarum acumina, quæ Geometricam & Arithmeticam scientiam invenerunt & excoluerunt. Ab iis enim tot instrumenta prodierunt, Geometris, Astronomis, Geographis, Naucleris, Architectis, aliisque artificibus utilissima.

LXVI.

Ope telescopiorum nova admiranda in cœlis, & ope microscopiorum nova miracula in terra intuemur. Quantam utilitatem nobis, qui variis morbis affligimur, Chymicorum, Anatomicorum & Botanicorum inventa attulerunt? Quæ commoda artis typographicæ inventioni humanum genus debeat, illi norunt, qui intellectus & voluntatis emendationem suspiciunt. Hæc omnia aliaque plurima soli DEO accepta sunt ferenda. *Certe DEUS dat sapientiam, & ex ore ejus est scientia & intelligentia, Prov. II. 6. Spiritus DEI est in homine, & spiraculum Fulminatoris (DEI) reddit eos intelligentes, Job. XXXII. 8. De egregio artifice Bezaliele refert Scriptura S. cum impletum fuisse Spiritu DEI, quoad sapientiam, & quoad intelligentiam, & quoad scientiam, & quoad omne opus, ad inveniendum inventiones, ad operandum in auro, argento & in ære. Et in sculptura lapidis ad implendum, & in sculptura ligni ad faciendum talia in omni opere. Ex. XXXI. 3. 4 5.*

LXVII.

Hæc si recte ponderamus, cognoscimus, DEUM curam hominum miserorum gessisse, & suggestisse, quæ commoda & tranquillitatem generis humani provehant. Brevi post creationem tempore inventæ sunt res maxime necessariae. Adam invenit artem agros colendi, Gen. IV. 2. Jubal tentoria conficiendi, v. 20. Tubal Cain metalla fundendi, v. 22. Post diluvium ad nostra usque tempora innumera fere producta sunt inventa hominibus utilia. Ex his infero DEUM benignissimum curam hominum gerere providam, quia animas quasdam excitavit, ut inventa generi humano utilia detegerent, & in usum hominum converterent.

SOLI DEO GLORIA.

I. INDEX
CAPITUM.

CAP. I. De Theologia Naturali in genere.

II. De Notitia DEI insita & acquisita.

III. De Conscientia Divinitatis teste.


IV. De Consensu gentium DEUM confitentium.

V. De Stellis gloriam DEI prædicantibus.

VI. De Anima DEItatis speculo.

R

II. IN-



II. INDEX RERUM.

A.

- A**doratio DEI non est actio corporis, sed anima. 91.
Æternitas præterita non est successiva. 85.
Æternæ revolutiones solis præteritæ non dantur. 86.
Affectus humani superant Theologiæ naturalis dictamina. 8.
Affectus prævi justificant peccata. 35.
Angelus multiscius & potens sine bonitate est diabolus. 121.
Anima est fundamentum personalitatis. 99. Deitatis speculum. 89. qua ratione cognoscatur. 89. seq. ejus existentia indicat DEI existentiam. 104. est substantia simplex, spiritualis, immaterialis. 97. tota natura à materia differt. 98. si materialis est, ejus divisiones erunt figuræ. 93. Adamo inspirata, quo sensu. 105.
Anima & corporis commercium. 114.
Animam agere in corpus & corpus in animam est possibile. 117.
Anima vehiculum, imago, spectrum. 98.
Anima destructo corpore vivit, 100. seq. intelligit, vult, audit, dolet. 101. seq.
Anima demortuorum vivunt coram DEO. 100.
Arcissecwski (Equ. Pol.) Tapujos ab Atheismo liberat. 55.
Argumentatio non est actio corporis, sed anima. 91.
Athei monstrofi homines. 48.
Atheorum tantus non est numerus. 49.
Athei non sunt, qui nulla sacrificia nullaq; altaria habent. 52.

B.

- Baylii sententia de Atheorum multitudine rejicitur. 49.
Bonitas DEI cognoscitur ex anima. 129. seq.

C. Ca.

INDEX RERUM.

C.

Capitaneus Capernaiticus cognovit, Christum agere in absens corpus, pag. 119.

Cartesii sententia de Idea DEI innata, 20.

Cautela iis observanda, qui in anima DEUM contemplantur, 102.

Centrum Systematis Planetarii, 66. dissensus circa illud, 67.

Characteres verae religionis & divinae revelationis, 6.

Charitatis mutuae vestigia naturalia, 120.

Chaudini de conscientia sententia, 27.

Cogitationes non sunt materiae motus, 97.

Cometae quid sint, ex sententia Newtoni? 82.

Cometae sunt majuscula caeli litera, 84.

Cometarum caudae, 82. eorum fines, 83.

Conscientia quid sit? 26. seq. est testis Deitatis, 26. non omni tempore mentem ad DEUM revocat, 40. ejus magnum robur, 34. ea ex relationibus rerum cognoscit leges, 28. seq. certa & probabilis, 27. recta, 27. seq. erronea, 28, 35, 36. erronea miseria, 40. erronea distincta à brutali reminiscentia, 36. rectae & erroneae diversa obligatio, 38. seq. erronea obligat, 37. recta est testis divinitatis, 39. erronea est testis divinitatis, 39. bene fundata se opponit insultibus peccati, 34. erronea quomodo peccet & non peccet? 37. pravae terrores, 33, 41, 42. seq. accusationes, 32.

Consensus gentium DEUM consentientium, 43. de DEI existentia quid sit? 44, 45. non est ex falsa institutione, 43. neque ex apparitionibus, ibid. distinctus ab instinctu naturali, 44. non est effectus Philosophorum, ibid. tacitus & expressus, 46.

Consuetudo peccandi unde? 41.

INDEX RERUM.

Cowardus, qui substantias immateriales negavit, refutatur, pag. 94, 95.

Creatoris sapientia & potentia manifesta est, 88.

Creatio ex nihilo, 76, 77.

Creatio Planetarum imperio DEI facta est, 75.

Creaturae in Planetis, 65.

D.

DEUS agit, quod optimum, sed ab optimo non cogitur, 113. est motor mundi materialis, 114. agit in corpora, 118. seq. autor motuum planetarum, 78. scit omnes arcanas intentiones, 108. in creatione mundi leges naturae constitutae non secutus est, 75. ejus libertas agendi, 108. 110. ejus gloriam stellae praedicant, 58, 85. notitia coepit cum Adamo, & durat per omnia secula, 46. notitia insita & acquisita, 8. seq. quomodo menti insit? 9. non est nuda potentia, 10. non dependet ab aliorum opinionibus, 11.

DEI unius cultores antiquiores sunt idololatri, 57.

DEI unius cultores futuri sunt in posterum plures, 57.

DEI impugnatio non procedit à principio intelligendi, sed à principio liberè agendi, 47.

Diei & noctis vicissitudines utiles, 63.

Derhami (Wilhelm) Astro-Theology & Physico-Theology, 2.

E.

Ecclipsium Lunarium usus, 61.

Errorum correctio non est actio corporis, sed alius substantiae, 93.

F.

Fabricius (Ludov.) liberat gentes à calumnia Atheismi, 51.

Finis electio non est actio corporis, 92.

G. Gall-

INDEX RERUM.

G.

- Gaudium spirituale non est actio corporis, pag. 92.*
Gentes, contemplando res creatas ad notitiam DEI pervenerunt, 45. incognitas DEUM cognoscere probatur, 49. Atheismi accusatæ non fuerunt Atheæ, 53. pacis & equitatis studiosæ non statim sunt Atheæ, 53.

H.

- Homo pravus lubentius sine offensione DEI lucrum appetit, 12. rectè judicat de alterius crimine, 12.*
Hottentoti non sunt Athei, 54.
Hypothesis Copernicana nondum demonstrata, 70.

I.

- Idea DEI hominibus inest, 20. seq. innata, 19. seq. hauritur ex rebus creatis, 22. seq. probat DEI existentiam, 25.*
Ideæ materiales in cerebro non absolvunt perceptionem, 90.
Ignorantia vincibilis, 35.
Informatio sola non inspirat Deitatis sensum, 47.
Intellectus DEI ex anima cognoscitur, 106.
Intellectus est activus & passivus, 18.
Intellectus non est camera obscura, 10.
Intelligere & velle non est compositum quid, uti colores, soni, 96.
Itineraria parvi pretii, 51.
Jovis lunulæ, 73.
Judicium non est actio corporis, 91.
Judicia hominum uniformia, 31.
Justitia quid? 3.
Justitia DEI cognoscitur ex anima, 122, 123. Characteres naturales Justitiæ, 121.
Justi & injusti discrimen æternum, 122.

L.

- Lamii & Brillonii controversia de Idea DEI, 24.*

INDEX RERUM.

- Lex natura, quomodo promulgata? pag. 3, 122.*
Leges naturales non sunt opiniones ex educatione orta, 30.
Liberè agendi facultas est possibilis, 109. probatur experientia, 108, 109.
Libertas agendi in DEO, 108, 112.
Libertas agendi in homine, 108. non infert independentiam, 109. corrupta, 111. differt à facultate judicandi, 109, 110.
Libertati humanae, quæ sint subjecta? 111. non spiritualia, ibid.
Lockius non benè percepit innatam notitiam, 15.
Luna noctes illuminat, 61.

M.

- Maria & fluvii Luna negantur ab Hugenio, 66.*
Materia æterna non datur, 87.
Mens non efficit, sed cognoscit veritates, 47.
Mortis metu territi sentiunt terrores conscientia, 41, 42.
Mosis verba de creatione non in allegorias vertenda, 75.
Motor æternus datur, 81.
Motus interna essentia non satis cognita, 118.
Motus quantitas non semper eadem, 117. nec ejus virium, 118.
Motus Planetarum est ab imperio DEI, 80. seq. constans, 78. velocissimus, 80.
Motuuum Planetarum autor DEUS, 78.
Motus Veneris comparatur cum motu globi ex tormento emissi, 79. seq.
Movetur homo ab interno, non externo principio, 108.
Mundus non est ex fortuito atomorum concursu, 87.

N.

- Necessitas convenientiæ consistit cum libertate agendi, 113.*
Nihil ex nihilo fit in natura constituta, 76. Ex nihilo aliquid fit in natura constituenda, ibid. non involvit contradictionem, 77.

No 3

INDEX RERUM.

Notitia DEI insita & acquisita, p. 8. homines inexcusabiles reddit, 14. intuitiva & verbis expressa, 119.

Nova inventa indicant DEI providentiam, 124.

Numinis contemptores quandoque excitantur, 41.

P.

Parallaxis fixarum stellarum non sensibilis, 67.

Perceptio non est actio corporis, 90.

Perfectiones animæ DEO adscriptæ in eminentissimum gradum elevandæ, 102. eo elevandæ, ubi cum reliquis DEI perfectionibus conspirant, ibid.

Personalitatis fundamentum est anima, 99.

Pietas quid comprehendat? 3. Planetarum systema, 66.

Planetarii systematis centrum, 66.

Planetarum ornatus, 65. constans motus, 78. usum saltem conjectura consequimur, 65.

Planetarum creaturæ, 65. Polythei non sunt Athei, 56.

Principium intelligendi differt à principio liberè agendi, 47.

Proprietates DEI non involvunt contradictionem, 103, 110. seq.

Proprietates creaturarum immaterialium DEO adscribi possunt, 103.

Proprietates materiæ DEO non adscribendæ, 104.

Providentia divina cognoscitur ex animæ acuminibus, 124.

R.

Relationes rerum nos dirigunt ad generis humani perfectionem, 29. indicant bonas & malas actiones, 2.

S.

Saturni Lunula, 72.

Scharrockius (Robert.) refutat Thomam Herbertum, 52.

Scripturæ S. usus, 69.

Scripturæ S. non loquitur secundum erroneam vulgi opinionem, 68.

Scripturæ S., cur non dixit, Solem terra esse majorem, terramq; esse planetam, 70.

Scriz

INDEX RERUM.


- Scriptura S. de phænomenis cæli loquitur optice, pag. 71.*
Securi homines morte appropinquante, in serena redeunt, 42.
Simplicitas DEI quomodo cognoscitur? 106.
Sol fortuito casu non est factus, 60.
Solis & terra distantia sapienti consilio facta, 36.
Sol effundit utilem calorem, 60.
Solis calore multa beneficia dispensantur, 61. ejus motu nimius calor, nimiumque frigus temperatur, 64. ejus motus annuus terram frugiferam reddit, 63.
Spinoza libertatem agendi in DEO negavit, 112. negat oculos ad visum, & pedes ad ambulandum factos, 113.
Stella gloriam DEI prædicant, 58. sunt cani & oculati creationis testes, 59.
Stellarum fixarum numerus ignotus, 71.
Stellas differre claritate, 84.
Substantia simplices, spirituales, non compositæ ex particulis, dantur, 94.
Suffragia in colligendo gentium consensu ponderanda sunt, 57.
Systema Planetarum indicat Architectum sapientem, 74.
Systematis Tychonis delineatio, 71. figura spirales, 72.
Systema Copernicanum auctum, 72.
Systema influxus Physici, 114. adfistentie, ibid. Harmonia præstabilitæ, ibid. 115. in hac multa difficilia, ibid. ex ea actiones hominum non solum infallibiles fiunt, sed etiam inevitabiles, 116.

I.

- Telluris Parallaxis, 67.*
Terra moles quanta? 74. figura rotunda, 64. inservit incolis. ibid. est hortus amœnus, 64.
Theologia naturalis quid? 1. Protoplastorum aucta, ibid.
Theologia naturalis objecta. 1. seq. Usus, 5. & 6.

V.

- Vires Naturæ sunt fortiores viribus calliditatis, 48.*
Vitia à genere humano non semper approbantur, 13.
Voluntatis depravata desiderium præponderat, 12.



Philos. D. 50 Fr.

Theob. Nat 32



